00080887

O
913
Cel/Des
80887

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
Town Hall, Bombay.

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 17 May, 2019



CHRISTOPHORI CELLARII

DESCRIPTIO ORBIS ANTIQUA

AUCTIOR, ET ACCURATIOR

S. a- 21



L.t.
O
913
Cel/DeS
80887

00080887

LECTORIBUS HUMANISSIMIS
VETERIS GEOGRAPHIÆ STUDIOSIS
JOH. BAPTISTA CHISIUS, ET FRANCISCUS TIROLIUS S.

EN tandem, LECTORES HUMANISSIMI, in lucem emittimus promiſſum Veteris Geographiæ Corpus, ſerius quidem exſpectatione veſtra, atque adeo, dicendum eſt enim, noſtris pollicitis, ac ſi verum fateri etiam volumus, deſiderio & cupiditate. Verum ſi quæ nobis, quo minus properaremus, impedimento fuerunt, perſequi hoc loco velimus, haud ſcimus an inepti, certe verboſiores, moleſtioreſque, quam pro Præfationis, noſtræque in vos obſervantiæ modo, futuri ſimus. Nec ipſi contra ii eſtis, qui quam cito Opus emittatur, modo expolitum, numeriſque, ut dicitur, ſuis abſolutum emittatur, quærendum magnopere eſſe exiſtimetis. Itaque alia potius videamus; de quibus vos paullo accuratius doceri, cum vobis non inutile futurum, tum noſtra etiam intereſſe plurimum arbitramur.

Ac Geographiæ quidem, præſertim veteris, ſtudium quantum delectationis habeat, quamque late, atque in omnes ferme eccleſiaſticæ, ac ſæcularis eruditionis partes ejus ſive utilitas, ſive etiam neceſſitas pateat, non eſt, ut apud vos longa oratione perſequamur. Cum igitur præclaræ facultatis cognoſcendæ cupiditate nonnihil ipſi etiam teneremur, plurimaſque ob eam rem Clarorum Virorum lucubrationes evolveremus, incidimus tandem in *Chriſtophori Cellarii Geographiam antiquam* Londini a Samuele Patrick an. MDCCLXIV. recuſam; Opus ſane doctum, nec minus jucunda brevitate, quam accuratione, & perſpicuitate magni faciendum. Commendabatur autem nobis majorem in modum Londinenſis hæc editio, quod tabulas Geographicas adjunctas habebat, quibus antiquiores Cellarianæ Geographiæ editiones deſtituebantur. Verum hoc incommodum accedebat, quod cum ad octavi formam quam liber præfert, accommodatæ ſint, adumbrationes magis Geographicarum tabularum, quam juſtæ tabulæ in uſum ſtudioſorum comparatæ videri poſſunt. In hoc dum eſſemus, ſubiit animum cogitatio, rem cum nobiſmet ipſis utilem, tum cæteris etiam, quicumque erga hanc facultatem bene animati ſunt, nos facturos, ſi eaſdem tabulas accuratius ſcalptas, atque in folii, hoc eſt multo ampliorem formam redactas cum orbe erudito communicaremus. Ad quam quidem cogitationem illud etiam nos impellebat, quod acceperamus, æra tabularum, quæ excudendis duobus tomis *Notitiæ Orbis antiqui*, ſive *Geographiæ plenioris* ejuſdem Cellarii inſervierunt, eo ſtatim e vivis ſublato penitus intercidiſſe. His rationibus inducti manus operi admovimus ea cura, eaque diligentia, quam non eſt modeſtiæ noſtræ apud vos prædicare. Res ipſa ſatis, ſi modo noſtras tabulas cum Cellarii, ac Patrickii tabulis contendere inſtitueritis, per ſe loquetur.

Sed illud tamen non prætereundum eſt, quod ad XXXIV. Cellarii Tabulas, ſeptem præterea adjecimus partim ad Operis ornatum, partim, quantum quidem facere ipſi poſſemus, abſolutionem. Hujus poſterioris generis ſunt quæ *Sphæram Armillarem*, *Americam*, & vetuſtum *Anemometrum* referunt. Ac de *Sphæra*, & *America* res per ſe patet; ad *Anemometrum* quod attinet, cum Cellarius in Tabula ventorum vetus marmoreum fragmentum, in quo pleraque ventorum nomina inſculpta viſuntur, repræſentandum curaverit, viſum eſt ne hoc alterum quidem monumentum eſſe prætermittendum, quod Cellariano multo eruditius, & abſolutius eſt; qua de re tota ſeparatim in præfatione egimus, quam conſulere, ſi tanti noſtra ducetis, per vos poteritis.

Hactenus de Tabulis. Supereſt nunc, ut de Opuſculis pauca pro re adjiciamus. Ac primo, quod palmarium nobis ducimus

mus (liceat enim nobis, Humaniſſimi Lectores, apud vos gloriari, nonnullamque ab omnibus, qui his ſtudiis delectantur, in eandam gratiam augurari), illud eſt, quod Viri humanitate, & eruditione præſtantiſſimi, longeque tot editis immortalis ingenii ſui monumentis orbi litterato notiſſimi, Francisci Jacquier, Matheматices profeſſoris, accuratiſſimam Diatriben de *Origine*, & *Progreſſu Geographiæ* primi in lucem proferimus, maximo huic editioni ornamento, ut auguramur, futuram; litteratis autem omnibus in magna breviloquentia, tam multarum, tamque reconditarum rerum copia, ingeniique, quibus mirum in modum diſtinguitur, tot luminibus, non minore in his ſtudiis adjumento, atque oblectamento. Nec vero laborandum parum fuit, ut luce digniſſimam lucubrationem, jamdiu tamen in ſcriniis Clariſſimi Viri delitescentem, tum ejus emittendæ poteſtatem ab auctore ſuo impetraremus. Sed importuna tandem noſtra ſtudia pervicerunt. Atque adeo, ut videtis, principem in hac editione locum ei Lucubrationi meritiſſimo aſſignavimus.

Sequitur Christophori Cellarii *Geographia Antiqua*, quam damus ex Londinenſi editione, pluribus deterſis mendis, quæ in vetuſtiora exemplaria irrepſerant, aliiſque etiam, a quibus ne in Londinenſi quidem ſua Patrickius ſatis caverat. Addidimus duplicem indicem; idque non in eum modo finem, quo contexi vulgo ejusmodi indices ſolent, ut editorum nimirum labore lectorum levaretur, ac minueretur labor; verum etiam ut dum lectorum noſtrorum delectationi tabularum elegantia, & nitore typorum ſerviremus, eorumdem ſolidæ utilitati proſpiceremus. Ad ſingula enim Urbium, & Regionum nomina veterum Scriptorum, qui de his meminerunt, loca citavimus excerpta ex majori Cellarii opere: ut ſi qui edoceri plenius in aliquo cupiat, ei fontes pateant, unde arbitratu ſuo hauriat: ita & voluptati, & commodo legentium, niſi valde opinione fallimur, cumulate ſatis factum putamus.

Cetera, quæ in Appendicem, rejecimus, duplicis ſunt generis: pleraque enim eo pertinent, ut de accuratione, quæ in tabulis & Cellarii textu recenſendo adhibita eſt, admoneantur Lectores; additamentum autem Cellarii de *America* ad abſolutionem, ut ita dicamus, ipſius Cellariani Compendii, plenioremque de Geographia Veteri tractationem. Sed de his ſatis ſuperque in præfatione ad Appendicem verba fecimus.

De C.V. Rogerii Josephi Boschovich Epiſtola ſuper vetuſto *Anemometro*, quam ad calcem operis adjiciendam curavimus, nihil hic addemus: ſatis eam cum merito ſuo, tum nomine ipſo Boſcovichii commendatum iri confidimus; adſcribendæ autem quæ nobis cauſſa fuerit, addita ibidem præfatione aperimus.

Hæc vos, Lectores Benevoli, volebamus. Valete, aliaque a nobis, ſi Deus vires, & otium largietur, propediem exſpectate.

Fran-

FRANCISCUS JACQUIER
MATHESEOS PROFESSOR

DE ORIGINE
ET PROGRESSU GEOGRAPHIÆ.

GEOGRAPHIÆ originem, & progreſſum indagaturus, triplicem Geographiæ ſtatum, atque, ut ita dicam, ætatem conſiderabo. Primùm quidem ipſam Geographiæ infantiam, deinde ætatem mediam; præſentem denique Geographiæ ætatem, atque ſi ita loqui fas ſit, ſenectutem contemplabor. Ut autem ſingulas ætates illas accurate perſequar, a Geographia proprie dicta diſtingui debent *Topographia*, & *Chorographia*. Rerum differentiam indicant nomina è græco ſermone deſumpta. *Topographia* enim nihil aliud quam loci alicujus, agri, urbis, deſcriptionem ſignificat. *Chorographia* eſt paulo amplior Regionis alicujus, vel Provinciæ delineatio; at *Geographia* eſt globi terraquei, quantum facere licet, accurata deſcriptio. Deſcribi autem poteſt Tellus, Mathematice, Hiſtorice, Philoſophice. Geographia Mathematica eſt deſcriptio Telluris quatenus eſt menſuræ capax. Itaque ad Geographiam Mathematicam pertinent Telluris, & partium ipſius figura, magnitudo, ſitus; cum Geographiæ ſtudio arcte etiam conjuncta ſunt cæleſtia phœnomena, quæ ad Telluris cognitionem conducunt.

Geographia *Hiſtorica*, quæ etiam *Politica* appellari poteſt, Regionum hiſtoriam, Principum geſta, Imperiorum fata, aliaque id genus innumera continet. Tandem Geographia *Philoſophica*, in perſcrutandis regionum proprietatibus phyſicis tota occupatur, & naturalem locorum hiſtoriam complectitur. De prima Geographiæ ſpecie tantum, Mathematicæ ſcilicet, hoc loco ſermo eſt. Quod primam naſcentis Geographiæ ætatem ſpectat, perfectionem aliquam in hac infantia, quis fruſtra quæſiverit. Et certe plus æquo rerum antiquarum amore peccare ii videntur, qui in remotiſſimis quoque temporibus ſummam inveniunt doctrinæ Geographicæ laudem. Tales antiquitatis amatores accuratioris Geographiæ haud ſatis peritos ſeſe oſtendunt, neque ea norunt Geographicæ doctrinæ adjumenta, quibus vetuſtiſſimos Geographos caruiſſe neceſſum fuit. Creſcente hominum multitudine, orta eſt familiarum ſocietatumque diverſitas. Hinc agrorum diſtributionem naſci oportuit. Poſſeſſionis jus, in prima origine, attributum, partum deinde induſtria, atque amplificatum, uſu tandem acquiſitum, atque confirmatum, Topographiæ initium dedit. Progreſſu temporis, longius propagato hominum numero, auctoque inter remotiores ſocietates commercio, nata eſt Chorographia. Verum res adhuc anguſta erat, neque alia opus fuit Geometria, quam quæ poſſeſſionum conſervationi, Provinciarumque limitibus præſcribendis ſatis fuit; communem ergo originem habuere Geometria, atque Geographia, eaſque æquis paſſibus deinde progreſſas fuiſſe demonſtrabitur. Hactenus quidem, & in primis generis humani incunabulis, ea ſolum adhibere oportuit inſtrumenta, quibus fundorum termini definirentur, locorumque etiam inacceſſorum diſtantiæ determinarentur.

Verum creſcente in dies & longe lateque diſperſa hominum multitudine, jam diſſenſiones, jurgia, bella, Geographiæ neceſſitatem invexere; oportuit ſcilicet ut res bello partæ, vel alio quolibet modo acquiſitæ tabulis Geographicis diſtinguerentur, atque etiam conjungerentur; neceſſe nempe fuit ut ex Tabulis Topographicis, atque Chorographicis componerentur ampliores Tabulæ, quæ Geographicæ appellatæ ſunt. Amplificato tandem humano genere, & in multa Imperia per magna intervalla diviſo, obſervationes plurimas per longam annorum ſeriem inſtitutas comparare inter ſe, antiquioreſque tabulas emendare conati ſunt, qui Geographiæ ſtudio paulo diligentius incumbere primum cœperunt. His incrementis adolevit Geographia uſque ad tempora Anaximandri, qui Thaletis Mileſii diſcipulus fuit, & primus omnium ſex fere ante Chriſtum natum ſæculis molem terraqueam menſuraſſe fertur, eamque globo artefacto & tabula Geographica repræſentaſſe. Nec multo poſt Ariſtagoras Mileſius, ut narrat Herodotus lib. 5. Cleomeni obtulit æream tabulam in qua totum terræ ambitum cum mari ac fluminibus inciſum exhibuerat. Simili tabella uſus eſt Socrates, qui anno ante Chriſtum circiter 430. floruit; is enim diſcipuli ſui Alcibiadis ſuperbiam volens reprimere, Eumdem juſſit in totius orbis deſcriptionem oculos conjicere, unde intelligeret ea omnia quibus gloriabatur bona non plus ſpatii quam puncti unius occupare. In Ariſtophanis comœdia cui *Nebulæ* titulus, Socratis diſcipulus quidam *Strepſiadi* tabulam geographicam manu porrigens inducitur. Poſtquam vero Geographiæ utilitas, tum

tum pace, tum bello, ſummis Principibus innotuit, eorum juſſu, patrocinio ac munificentia a Mathematicis ſuſceptæ ſunt terras marique longiſſimæ peregrinationes ex quibus ſcientia illa magna cepit incrementa.

Neco Ægyptiorum Rex multis ante Chriſtum natum ſæculis univerſum *Africæ* latus extremum per integrum triennium explorari juſſit. Darius Indi *oſtia* & mare Æthiopicum Orientale luſtrari mandavit. Alexander Magnus in expeditione ſua Aſiatica Calliſthenem ad aſtra obſervanda, & Diognetum ac Bœtonem, qui itinera ſua dimetirentur ſecum perduxit, ex quorum obſervationibus & itinerariis *non* parum utilitatis Geographiæ acceſſit; claſſem quoque parari curavit, qua recognoſcerentur Maris Indici, & ſinus Perſici littora. In libro de Mundo, qui Ariſtoteli Alexandri Magni præceptori tribui ſolet, legitur deſcriptio præcipuarum partium telluris, quam Auctor ille in tres partes Europam, Aſiam, & Africam dividit. Poſt Alexandri mortem, Reges qui ei *in* Ægypto ſucceſſere, convocatis celeberrimis Mathematicis, Alexandriæ conſtituerunt Aſtronomiæ, & Geographiæ veluti ſedem atque domicilium. Floruerunt imprimis ante Chriſtum natum, Conon, Ariſtillus, Timocaris, Hyparchus, Eraſtothenes, qui ex obſervationibus Solis orbem terræ dimenſus eſt, ſed parum accurate; ea enim deſtitutus erat inſtrumentorum, atque obſervationum ſubtilitate, quæ erat omnino neceſſaria.

His incrementis apud Phœnicios, Ægyptios, Græcos augebatur Geographia. Neque multum mihi immorandum eſſe puto in referendis, vel potius refellendis Scriptorum commentis qui longe antiquiorem jactant Geographiæ ſenectutem; inter quos non defuere qui tantam in Homero doctrinæ univerſitatem venerati ſunt, ut in hoc eximio quidem poeta, & poetarum omnium parente reconditiorem invenerint Aſtronomiæ, & Geographiæ cognitionem. Illi autem ſuperſtitioſi antiquitatis cultores & parum æqui recentiorum temporum æſtimatores nulla alia nituntur ratione, niſi vaga ſiderum quorumdam appellatione, & parum diſtincta aliquarum provinciarum deſcriptione. Sed quanto rectius de Homero ſcribit Strabo lib. 1. τῆς γεωγραφίας ἦρξε, *primus in Geographia ſtudio verſatus eſt*. Maxima quidem laus antiquis tribuenda, & eo quidem major quod, ut ita dicam, viam perrumpere, atque aperire auſi ſint. Ecquis enim Phœnicios impenſe non venerabitur Nauticæ artis peritiſſimos, quantum fas erat antiquiſſimis temporibus? Ii ſiquidem numeroſiſſimas colonias per Europam & Africam conſtituere ab Ægeo Mare ad Fretum Gaditanum uſque. Porro ſcientiis & artibus, ut plurimum neceſſitas dedit originem, atque fieri debuit, ut commercii ſtudium atque utilitas in antiqua gente Phœnicia Geographiæ amorem excitaverit, & ſcientiæ hujus excolendæ anſam præbuerit. Verum quidquid veteris Geographiæ ad nos pervenit, quotquot fragmenta ad noſtra uſque tempora derivarunt, nulla exhibent cultioris doctrinæ veſtigia, atque ea obliterata fuiſſe & temporum injuria periiſſe fateantur neceſſe eſt qui de veterum recentiorumque Geographorum doctrina & gloria contendere non dubitant. Pari quidem jure ſummam & longe antiquiſſimam Geographiæ gloriam populo Hebræo vindicare liceret. Duodecim enim Iſraeliticis Tribubus diſtributa fuit terra promiſſa; hancque diviſionem tabula aliqua Geographica ratam & confirmatam fuiſſe affirmat Joſephus; quæ quidem tabula ſi umquam extiterit, antiquior eſt ea, quam a Seſoſtri adornatam, neſcio quo fundamento narrant Scriptores aliqui & populis ſuis exhibitam, ut victoriarum & imperii magnitudinem intelligerent. Sed quidquid ſit de tabulis illis quarum incerta vix ſupereſt memoria, certum eſt hæc Geographiæ inſtrumenta ad mediam duntaxat & rudiorem ætatem rejicienda eſſe.

Ultra juſtos limitet creſceret hæc Geographica diſquiſitio, ſi antiquioris Geographiæ ſtatum apud Græcos curioſius perſequi vellem. Nunc qualis fuerit apud Romanos doctrinæ Geographicæ cultura indagandum mihi eſt. E Græcia ad Romanos ſimul cum artibus profluxit Geographia. Solebant Romani devictæ & in ſuam poteſtatem redactæ alicujus provinciæ Chorographiam in tabula expreſſam, & coloribus diſtinctam atque illuſtratam in triumphi ſignum ſpectatoribus oſtendere; *Geodætas* & Geographos in diverſas terræ plagas miſit Senatus Romanus uno circiter ſæculo ante Chriſtum natum, qui Tellurem dimetirentur. Scipio Africanus bellum gerens in Africa Polybio Annalium ſcriptori Claſſem dedit, ut Africæ, Hiſpaniæ, & Galliæ littora exploraret & perluſtraret. Julius Cæſar locorum diſtantias in diverſis Romani Imperii partibus delineari curavit, uſus opera Zenodoxi, Theodori, & Polycleti; ipſe vero Galliam, & Britannicas inſulas in ſuis de bello Gallico Commentariis geographice deſcripſit. At perpetua ſæculorum omnium execratione digna eſt crudelitas Domitiani, qui referente Suetonio, morte damnavit Metium Pompoſianum eo quod Tellurem Tabella pergamena depictam populo demonſtraret, atque eum qui ſolius Geographiæ amore captus erat, velut regnandi cupidum & affectati imperii reum habuit. Quantum is diverſus a Pompejo Magno, qui Poſſidonium inſignem Geographum atque Aſtronomum coluit: *Gneus Pompejus*, inquit Plinius hiſt. nat. lib. 7. cap. 30. *confecto Mithridatico bello, intraturus Poſſidonii ſapientiæ profeſſione clari domum fores percuti de more a Lictore vetuit, & faſces Lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens, Occidenſque ſubmiſerat*: Præclarum quidem in viro Maximo erga litteratum virum benevolentiæ, & humanitatis exemplum. Quanto ſtudio Geographiam excoluerint Romani exterique Scriptores, teſtis eſt Plinius qui hiſt. natur. lib. 3. 4. 5. 6. Telluris partes ſuo tempore cognitas deſcribit; eos laudans Auctores tam domeſticos, quam exteros, quorum operibus uſus fuerat. Inter eos qui ſub Auguſto & Tiberio de Geographia ſcripſerunt, primo loco numerari debet Strabo. Verum antiquiſſimi auctores & rerum inventarum novitate, & ingenii ſagacitate ſatis quidem commendari non poſſunt; In æſtimandis hominum ingeniis atque laboribus, ſuis temporibus autores reſtitui convenit; res enim per gradus perficiuntur; atque in artibus ſcientiiſque non ſecus ac in mechanicis valet maxime lex apud Philoſophos pervulgata: *Nihil fit per ſaltum*.

Excellentem jam ab antiquis temporibus Aſtronomiæ & Geographiæ cognitionem ad æternam memoriam tranſmittent exſtructi in plurimis locis præalti *Gnomones* ſeu *Obeliſci*. Ex Ægypto Romam Obeliſcos nonnullos advexerunt

Ju-

Julius Cæſar, & Auguſtus cum ad Urbis ornatum, tum ad captandas umbrarum menſuras & proportiones. Eum qui in Campo Martio fuit, temporum barbarie dejectum, ruiniſque obrutum paucis abhinc annis juſſu Benedicti XIV. Pontificis Maximi erutum, atque Civium plaudentium oculis expoſitum vidimus. Curaverat quoque Auguſtus variarum Regionum deſcriptiones fieri, & vias publicas oraſque maritimas, lapidibus ad ſingula milliaria conſtitutis diſtingui, atque tandem admoveri ultimam manum generali orbis deſcriptioni, cui perficiendæ Romani per duo ſæcula incubuerant. Hujus univerſalis deſcriptionis compendium habetur in itinerario quod Antonino Imperatori tribuitur. Sub eo principe Claudius Ptolemæus Alexandrinus, ex ſuis & aliorum obſervationibus Geographicum opus conſtituit, Telluris orbem tunc cognitum deſcripſit, locorum omnium diſtantiis ad gradus & minuta redactis juxta menſuram Poſſidonii, loca illa in tabulis geographicis expreſſit, & ſecundum longitudinem & latitudinem diſpoſuit. Hanc Ptolemæi methodum, qua nempe loca ſecundum longitudinem & latitudinem ex cæleſtibus obſervationibus collocantur ac diſtinguuntur, omnium accuratiſſimam & tutiſſimam eſſe in tabularum geographicarum conſtructione, ratio demonſtrat & experientia confirmat. Hanc methodum ideo adhibuerunt poſtea melioris nominis Geographi, atque ſine longitudinum & latitudinum uſu, imperfecta etiamnum jaceret Geographia; vix ſuſcipi & feliciter abſolvi potuiſſent difficiles & longiſſimæ navigationes quibus novus orbis detectus eſt. Verum Aſtronomia Geographiæ pediſſequa ea carebat obſervationum ſubtilitate, qua omnino opus eſt; hinc lentiori gradu creſcens Geographia, plurimis ſcatebat erroribus. Oceanum continuo tractu tellurem ambire, circumnavigari poſſe telluris globum ipſamque Africam, veteribus ignotum fuit; Zonam Torridam habitari poſſe atque reipſa plurimis populis refertam eſſe, ignorabant Geographi. Tota America terræque Septentrionales & Auſtrales, veraque telluris dimenſio erant incognitæ. Tandem latebat adhuc inſignis illa Magnetis proprietas, quæ Septemtrionem & Auſtrum demonſtrat; quamvis aliam Magnetis vim, qua ad ferrum tendit cognoverint antiqui. His de cauſis factum eſt, ut Ptolemæus non ex accuratis Siderum obſervationibus, ſed ex incertis viatorum relationibus plurimorum locorum longitudines & latitudines determinaverit, atque neceſſario erraverit. Inſulas Fortunatas quæ pluribus gradibus in longitudinem a ſe mutuo diſtant, ſub eodem Meridiano collocavit, earumque latitudinem, commiſſo decem aut duodecim graduum errore, breviorem fecit. In deſcriptione Aſiæ tres gradus latitudinis Auſtralis Sinarum Metropoli tribuit, quamvis tamen Sinarum Terræ maxime Meridionales, ab Æquatore verſus Septentrionem diſtent xx. & amplius gradibus, ſeu latitudinem Septentionalem xx. & amplius graduum obtineant; errores alios plurimos prætermitto, quos Geographiæ, & Scientiarum tarditas fere neceſſarios reddiderat.

Plura fluxerunt ſæcula antequam de corrigenda & reformanda Geographia diligentius cogitatum ſit; donec Arabes rerum potiti, Coſmographiæ aliarumque Scientiarum ſplendorem promoverunt, Calipharum exemplo excitati. Europæ principes perficiendæ Geographiæ curam ſuſceperunt. Inventa Pixide Magnetica cujus ope, nubilo etiam cælo, lineæ meridianæ directionem determinare licet, ſi tamen ſereno cælo ſidera identidem obſerventur, ars navigandi magnis aucta eſt incrementis; longinquis navigationibus ſuſceptis, novoque orbe detecto, tellure ſæpius circumnavigata, obſervationibus Aſtronomicis ubique terrarum habitis, Coſmographia tota novam, ut ita dicam, faciem induit. Summorum Principum munificentia doctorum virorum ſocietates ſeu academiæ fuerunt inſtitutæ, quæ conjunctis ſtudiis ad ſcientias omnes, Matheſim potiſſimum & Phyſicam amplificandas ſtrenue laborarunt. Inventis *Teleſcopio*, *Micrometro*, *Horologio oſcillatorio*, inſtrumentis Aſtronomicis ſumma induſtria elaboratis, conſtructiſque novis Satellitum Jovialium Tabulis, accuratius ſumptis Planetarum omnium motibus, propoſitis ſubtilioribus methodis longitudines inveſtigandi per eclipſes ſatellitum Jovis, Solis, necnon per ſtellarum fixarum occultationes, ſuſceptiſque ad obſervationes inſtituendas terra marique ad extremas uſque mundi partes peregrinationibus, præcipuorum locorum longitudines & latitudines determinatæ ſunt, atque emendari cœperunt errores quibus laborabat Coſmographia. Ad hanc Epocham referri poſſe videtur media Geographiæ ætas. His tamen Aſtronomiæ adjumentis non ſatis feliciter uſi ſunt celebriores quoque Geographi, qui ſæculo proxime elapſo floruere. Nicolaus Sanſon, qui anno 1667. Pariſiis obiit, plurimum quidem laboris ad perficiendam Geographiam contulit; illius tamen Tabulæ Geographicæ quæ etiamnum plurimorum manibus frequentius teruntur, imperfectæ admodum ſunt, & negligentius conſtructæ. Nili originem ſub Tropico Cancri reliquit Sanſon Ptolemæum ſecutus, quamvis inde diſtet gradibus xxxv. *Sinarum* Imperium, *Tartariam*, Terram *Eſonis* perperam, & negligentiſſime collocavit.

Hos alioſque errores plurimos in ſuis Mappis Geographicis emendavit *Guilielmus De Liſle* Academiæ Pariſienſis Socius. Hic oſtendit, ad ſua uſque tempora erratum fuiſſe in determinanda Maris Mediterranei longitudine, ab Occidente in Orientem, pluſquam quarta parte totius longitudinis, quam longitudinem totam ad Leucas 860. reduxit; cum antea patere crederetur 1160. leucis; qui quidem error & obſervationum aſtronomicarum fide, & itinerariorum conſenſu demoſtratus, fere videtur incredibilis in mari cultioribus nationibus notiſſimo, & navigationibus in omnes plagas ſuſceptis frequentiſſimo. Aſiam quoque 500. leucarum intervallo decurtavit; Terræ Eſonis ſitum mutavit, reperta leucarum 1700. differentia, aliaſque innumeras correctiones adhibuit in 90. Mappis Geographicis, quas edidit. Quia vero in longo & difficili labore fas eſt obrepere errores, Lillii tabulas aliquas diligentius recognovit, atque emendavit percelebris Geographus D. Danville, ipſe quoque ab aliis emendandus, ſi accuratiores accedant obſervationes; & quidem in rebus Geographicis nullus eſſe poteſt obſervandi finis.

Poſtrema Geographiæ Epocha initium ducit ab anno 1736., cum nempe juſſu & munificentia Regis Chriſtianiſſimi, duæ Pariſienſium Academicorum

rum turmæ laborioſiſſimum, æternaque fama digniſſimum iter ſuſceperunt verſus æquatorem & circulum polarem arcticum, ad determinandam Telluris figuram & magnitudinem. Incredibili fere labore inventum eſt, molem terraqueam non eſſe Sphæricam, ſed Sphæroidicam compreſſam ad polos & oblongatam ad æquatorem; quod quidem Nevvtonus ex ſuis principiis definiverat, diſſentientibus licet obſervationibus in Gallia parum accurate inſtitutis. Hinc neceſſum fuit, ut tabulæ Geographicæ quæ in Hypotheſi telluris Sphæricæ exaratæ ſunt, ad recentiorum obſervationum normam accommodarentur, ſaltem in uſus nauticos; ſunt enim hac in re errores periculoſi. Accurata locorum diſtantia ad conſtituendam Lunæ Theoriam apprime conducit. Porro ſi lunæ Theoriam ſatis accuratam aſſequi liceret, jam ſolvi poſſet celeberrimum problema: de inveniendis in Mari locorum longitudinibus; quod quidem problema artem nauticam ad ſummum perfectionis gradum perduceret, non ſine magna generis humani utilitate.

Singulas Geographiæ ætates breviter tantum deſcripſi, & quantum patiuntur anguſtiores, quos mihi præſcribo limites. Jam vero inter veterem recentioremque Geographiam comparatio inſtituenda. Nemo neſcit ad figendum telluris locum aliquem, & ad conſtruendas vulgares Geographiæ Tabulas, neceſſariam omnino eſſe latitudinis & longitudinis notitiam. Si in aliquo telluris loco, terra vel mari verſemur, qui nobis ignotus ſit; cognita ejuſdem loci latitudine & longitudine, hunc ipſum locum in terreſtri globo aſſignare poterimus. Si autem ſola loci latitudo cognita fuerit, incognita longitudine, inveniri quidem poterit parallelus in quo verſemur, & ignotus remanebit paralleli locus in quo degimus. Varias quidem methodos habemus ad inveniendam terra marique latitudinem loci, in quo ſumus conſtituti. Hactenus nemo accuratam, quantum oportet, methodum invenit loci ignoti longitudinem in mari quovis tempore determinandi; quamvis ob eximiam in arte nautica inventionis utilitatem, largam pecuniæ ſummam inventori conſtituerint cultiores nationes. Multi quidem ſuarum inventionum amore capti, rem a ſe confectam exiſtimarunt, & prœmia propoſita ſuo velut jure repetebant. Verum re examinata, deprehenſum eſt aliquas hujuſmodi inventiones erroribus ſcatere, alias autem in re tam ſubtili ſufficientes non eſſe, ita ut nemo adhuc palmam in medio poſitam rapere potuerit. Methodus omnium ſimpliciſſima proculdubio haberi debet *Horologiorum*, ut vocant, Αυτοματων uſus. Cum enim longitudo per differentiam Meridianorum determinetur, differentia autem meridianorum definiatur per horarum & partium horæ differentiam in diverſis locis, patet longitudinum problema eo reduci, ut data hora quæ in Navi numeratur, inveniri poſſit hora eodem temporis abſoluti puncto ſub alio quolibet meridiano dato numeranda. Quare nihil aliud efficiendum eſt, niſi ut horologium affabre elaboratum ad horam accurate componatur, in ipſo unde Navis profecta eſt loco; ubi vero ad datum aliquem locum appulit, notetur temporis differentia inter loca data; hæc autem differentia convertatur in gradus, & graduum partes, ut moris eſt, eaque addatur vel ſubtrahatur, prout iter fit ad Orientem vel Occidentem, quæ quidem omnia ex uſu globi notiſſima ſunt. At dolendum eſt ea quæ hactenus inventa ſunt temporis inſtrumenta, ad eum perducta nondum fuiſſe perfectionis vel ſaltem certitudinis gradum, quæ rem extra omnem dubitationem ponat, variaque in longiori itinere oblata impedimenta diſcernat atque corrigat. Iisdem imo & gravioribus incommodis obnoxia eſt Methodus, quæ ex Eclipſibus deſumi ſolet. Rariores quidem ſunt Lunæ & Solis Eclipſes, frequentiores autem Satellitum Jovis immerſiones; ſed cum obſervationes illæ longiora exigant teleſcopia, minima Navis agitatio Satellitem e campo viſionis facile deturbat & obſervationis fidem omnino tollit. Quæ cum ita ſint, opus eſt difficultatibus plenum aut Teleſcopium invenire, aut horologium automaton conſtruere, ita ut Maris agitatio nullum poſſit errorem inducere.

Itaque unica fere ſpes remanet, in obſervatione ſcilicet locorum Lunæ inter Stellas fixas. Hoc enim Sydus ſingulis fere noctibus ſupra horizontem apparet, exceptis paucis noctibus quibus a Sole parum diſtat poſt & ante novilunium. Porro Luna motum proprium adeo velocem habet, ut triangulum quod cum duabus quibuslibet Stellis fixis efficit, continuo mutetur. Hujuſmodi variabile triangulum conſiderari poteſt tanquam phænomenum inſtantaneum, non ſecus ac initium aut finis eclipſeos. Ut autem ex tali obſervatione inveniri queant longitudines, duo neceſſaria ſunt. 1. Hujuſmodi triangulum in mari ſatis accurate obſervari debet, captis nempe diſtantiis Lunæ a duabus Stellis fixis. 2. Motus Lunæ ſatis accurate cognitus eſſe debet ad inveniendam horam in loco aliquo, cujus longitudo data eſt, eo ipſo temporis puncto quo prædictum Lunæ cum Stellis triangulum obſervatur. Cum enim per Stellarum obſervationes ſatis accuratè definiri poſſit hora in loco in quo navis verſatur; ſi cognita ſit hora in altero loco, cujus nota eſt longitudo, ex horarum differentia illico innoteſcet differentia longitudinum inter duo illa loca, ideoque obtinebitur longitudo loci in quo navis reperitur. Porro inventum eſt paucis abhinc annis inſtrumentum quo, non obſtante navis agitatione, diſtantiam Lunæ a Stellis fixis ſatis accurate metiri liceat, ideoque & prædictum triangulum determinare.

Supereſt igitur ut theoria Lunæ ad eam perfectionem adducatur, quæ ſufficiat ad ejus locum in cælo inveniendum, & ad determinandum temporis momentum quo triangulum lunare ex hoc vel illo telluris loco, hoc vel illo modo cum Stellis fixis formatum apparebit; triangulum enim illud ob magnam Lunæ parallaxim, ex diverſis terræ locis diverſum videtur eodem temporis momento, & ob motuum Lunarium velocitatem mutatum obſervatur ex eodem loco, temporibus parum diverſis. Fatendum quidem eſt tot ambagibus laborare Lunares motus, ut calculis ſubjici vix poſſint ea nempe diligentia qua opus eſt ad determinandas longitudines. Verum paucis abhinc annis tanta ſagacitate tractata eſt a ſummis viris theoria Lunæ, ut non longe abeſſe videatur ab illa perfectione quæ ſummopere deſideratur, & quam etiamnunc pro viribus tentare non deſinunt primi ordinis Geometræ.

Non ſolum ex theoria Lunæ, ſed etiam ex obſervationibus compertum eſt, poſt abſolutam 223, Lunationum periodum, hoc eſt, poſt annos 18. eaſdem redire circumſtantias motuum Lunæ reſpectu Solis, & telluris, eaſ-demque in ſuis motibus variationes, quæ in ipſo periodi initio fuerant obſervatæ. Itaque ſeries obſervationum toto hoc 18. annorum tempore aſſidue & accurate inſtitutarum motus Lunæ ad ſubſequentes periodos ſuppeditabit. Hanc tam longam tamque laborioſam obſervationum ſeriem in Anglia ſuſceperat Hallejus jam ætate provectior, qui cum perveniſſet ad finem alterius periodi brevioris quæ 111. dumtaxat Lunationes continet, neque ita accurate ſuppeditat Lunarium motuum inequalitates, potuit tamen diligentiſſimus Aſtronomus, in arte nautica verſatiſſimus, longitudines in mari ita determinare, ut error non ſuperaret 20. leucas prope Æquatorem, 15. Leucas in noſtris climatibus & minor adhuc eſſet in locis ab Æquatore remotioribus. Hunc ipſum laborem ſtrenue perſecutus eſt D. Le Monnier Academicus Pariſienſis, ita ut ex ſumma Theoriæ Aſtronomicæ & obſervationum Concordia ſperare liceat fore, ut tandem ſolvatur utiliſsimum problema, cujus quidem problematis ſolvendi ne primas quidem vias noverant veteres Geographi.

Non in conſignanda longitudine tantum, ſed etiam in definienda latitudine antiquitus erratum eſt. Jam ſermo fuit de Telluris menſura ab Eratoſthene tradita. En illius methodum a Plinio indicatam lib. 2. cap. 72. *Tradunt in Syene oppido quod eſt ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, Solſtitii die medio nullam umbram jaci; puteumque ejus experimenti gratia factum totum illuminari; ex quo appareret tum Solem illi loco ſupra verticem eſſe; loco ſubtilitatis immenſæ, mundo ibi deprehenſo; cum indubitata ratione umbrarum, Eratoſthenes menſuram terræ prodere inde cœperit*. Itaque ſumebat Eratoſthenes, Syenem Ægypti urbem eſſe ſub Tropico Cancri, & hanc eadem urbem, atque Alexandriam eſſe ſub eodem meridiano collocatas. Quo poſito, die ſolſtitii æſtivi Alexandriæ in loco patenti conſtituit Eratoſthenes hemiſphærium concavum, ita ut ſtilus ex ejus fundo erectus perpendiculariter inſiſteret horizontis plano; & ex meridiana ſtili umbra diſtantiam Solis a vertice conjectatus; eam æqualem invenit quinquageſimæ parti circuli ſeu 7° 12'. Cum itaque fingeret Alexandriam, & Syenem ſub eodem meridiano poſitas eſſe, & in ipſo obſervationis momento Solem urbi Syene verticaliter imminere, facile fuit concludere arcum meridiani inter duas urbes comprehenſum eſſe quinquageſimam partem totius meridiani, ſeu circuli Telluris maximi, atque ex data Alexandriæ a Syene diſtantia totam circuli circumferentiam colligere. Verum in Eratoſthenis dimenſione peccatum eſt tum ratione longitudinis, tum latitudinis; has enim conditiones omnino neceſſarias, ex vulgi opinione, dixerat; umbrarum termino qui ſatis accurate obſervari non potuit, uſus eſt; ponebat quoque ſtilum verticalem medio ſolſtitii æſtivi die umbra carere. Tandem nec apparentis diametri Solis nec refractionis rationem habuit, ipſamque Solis parallaxim non attendit; quæ quidem omnia veteribus, Geographis vel nihil, vel parum accurate nota fuiſſe compertum eſt. Hanc tamen Eratoſthenis dimenſionem probavit Plinius, & *indubitatam* vocat hac in re umbrarum rationem.

Eratoſthenem emendare tentavit Poſſidonius, qui Ciceronis & Pompeii ætate Telluris dimenſionem aggreſſus eſt. In urbe Rhodo obſervavit *Canobum* Stellam lucidiſſimam *Argonavis* ita ſtringere horizontem, ut ſtatim ac appareret in horizonte, hæc quoque occideret; ejuſdem vero Stellæ altitudinem meridianam Alexandriæ obſervatam aſſumit quadrageſimam octavam partem totius meridiani, ſeu 7° 30'. Quare cum urbes illas ſub eodem meridiano jacere poneret, ex data urbium diſtantia inferre licuit arcum meridiani inter Alexandriæ & Rhodi vertices. Verum hæc dimenſio, quam ſecuti ſunt Strabo, Ptolemæus, aliique veteres Geographi iiſdem non ſecus ac præcedens urgetur vitiis; nam præter diſtantiarum menſuras quæ parum accurate captæ ſunt, nulla habita fuit ratio refractionis, quæ tamen in horizonte maxima eſt. At quamvis Geographicæ operationes illæ nævis non paucis laborent, id tamen ſuis auctoribus culpæ verti non debet; imo æterna laude digniſſimi ſunt magni illi viri, quod de hac eleganti ſane methodo cogitaverint, atque eos dumtaxat admiſerint errores quos committere fere neceſſarium fuit, quibus vero in hodierna rerum Aſtronomicarum luce ignoſcere omnino non licet.

A Poſſidonii temporibus ad nonum uſque Chriſti ſæculum, de Tellure dimetienda nemo cogitavit, quantum ſcire poſſumus. Sed Maimon magnus, ut vocant Babylonis Caliphas & Arabum Imperator, qui circa annum Domini 827. floruit; cum eſſet mathematicis diſciplinis & præſertim Aſtronomiæ addictiſſimus, necnon ſplendidæ erga viros doctos munificentiæ, convocatos ſapientes, ac peritiſſimos Coſmographos Telluris menſuram explorare juſſit. Hi autem latiſſimos Meſopotamiæ campos elegerunt, & in duas turmas diviſi, ex quodam determinato loco profecti, ſub eodem Meridiano incedentes & iter confectum menſurantes, alii quidem verſus Boream, alii autem verſus Auſtrum, donec a loco, unde itineris initium fecerant, gradu uno latitudinis diſtarent. Ii quidem antiquiores dimenſiones reformarunt; verum quia de methodo, qua locorum latitudines & diſtantias definiverunt, nihil reliquere, in illorum diligentiam inquirere non poſſumus.

Poſt hanc Arabum Mathematicorum dimenſionem, nullus ad XVI. Chriſti ſæculum hoc problema ſollicitavit. Vix referri meretur methodus, qua uſus eſt Fernelius Henrici Secundi Galliarum Regis medicus circa annum 1525. Pariſiis diſcedens verſus Septentrionem, recta, quantum fieri potuit, via progreſſus eſt, donec altitudinem poli ideoque & latitudinem uno gradu auctam obſervaret. Hinc Pariſios vehiculo reverſus, rotæ unius circumvolutiones tota via numeravit, & ex circumvolutionum numero atque magnitudine rotæ, vallibus & montibus ad æqualitatem conjectando redactis, tam craſſa obſervatione unum telluris gradum definire auſus eſt; & quod mirum eſt, a veritate non multum aberravit. At quod res ita ſe habuerit non diligentiæ, ſed caſui tribuendum. Alias prætermitto Norvvodi in Anglia, & Ricciolii in Italia dimenſiones.

Hæ enim methodi incommodis plurimis & erroribus ex refractione oriundis ſunt obnoxiæ. In tanta dimenſionum terreſtrium diverſitate, atque incertitudine, *Regia* Scientiarum Academia Pariſienſis, a prima fere inſtitutione *decrevit* hanc dimenſionem accuratius, quam antea factum fuerat, aggrediendam eſſe. Notiſſimi ſunt labores a Pariſienſibus Academicis in hanc rem ſuſcepti, qui paſſim deſcripti inveniuntur. Inſtituta a doctiſſimis viris dimenſio, tanta quidem accuratione, nullum videbatur circa telluris magnitudinem dubium relinquere. Verum paulo poſt, ſumptis de corporum gravitate experimentis, dubitari cœptum eſt, an tellus Sphærica eſſet, quemadmodum Picardus aliique laborum ſuorum ſocii crediderunt; ideoque incerta manſit vera Telluris magnitudo. Si enim accurate Sphærica non ſit, ex gradus unius dimenſione totum telluris ambitum determinare non licet, ob inæqualitatem graduum, quos æquales fecerat Sphærica telluris figura. Primum experimentum, ex quo nata eſt tanta Geographorum perturbatio, inſtitutum fuit a Richero Pariſienſi Academico an. 1672. Cum enim in Inſula Cayennæ quæ quinque circiter gradibus diſtat ab æquatore, obſervationibus Aſtronomicis vacaret, animadvertit Horologium pendulo inſtructum, quod Pariſiis ad medium Solis motum aptaverat, in illa Inſula retardationem pati 2' 28". ſingulis diebus. Vulgato hoc experimento ſtatim intellectum eſt, gravitatem in Inſula Cayenna minorem eſſe quam Pariſiis; atque repetitis deinde experimentis confirmatum eſt, gravitatem minorem eſſe in regionibus Æquatori proximis, quam in locis alterutri polo propioribus, atque hinc concludere non dubitarunt Mathematici tellurem eſſe depreſſam verſus polos, & oblongatam verſus Æquatorem. Verum de figura telluris adhuc dubitabatur, cum Picardi dimenſio gradus unius duntaxat magnitudinem daret. Quare D. Caſſinus, illuſtreſque Socii lineam meridianam, quæ per obſervatorium Pariſienſe tranſit, ad extremos uſque Galliæ fines tam verſus Auſtrum, quam verſus Boream produxerunt & arcum Meridianum graduum 8½. dimenſi ſunt. Collatis autem gradibus verſus Septentrionem ſumptis cum gradibus verſus Aſtrum, inventum eſt, Septentionales Auſtralibus minores eſſe, ita ut pergendo a Septentrione ad Meridiem in Gallia gradus Meridiani creſcere viderentur, & contra decreſcere pergendo a Meridie ad Boream. Hinc inferre pronum fuit, tellurem non eſſe Sphæroidem latam, ſed oblongam: nempe compreſſam verſus Æquatorem & oblongam verſus polos.

In tanta obſervationum diſcordia, operæ pretium eſſe judicavit Academia Regia Pariſienſis rem tanti momenti ad trutinam iterum revocare, atque Regiam munificentiam & auctoritatem implorare. Ergo Regis juſſu, atque auſpiciis, ad Zonam Torridam iter ſuum direxerunt ſelecti Academici, alia autem Academicorum manus ad Septentrionem. Et quidem ſi gradus a polo ad Æquatorem continuo creſcunt vel decreſcunt, duorum graduum maxime diſtantium differentia, utpote ex omnium graduum intermediorum differentiis compoſita, deprehendi facile poterit,

Nec Spem fefellit eventus; in deſertas ſqualidaſque Lapponiæ & Æquatoris regiones penetratum eſt; in horridos & præruptos montes, delato ingenti Inſtrumentorum apparatu, triangulorum ſeries conſtructa, angulique omnes quam curioſiſſime determinati ſunt, & ad rigidiſſimum examen revocatæ priores Telluris dimenſiones. Longius eſſet enarrare commiſſos correctoſque errores; in re tam ſcrupuloſa, refractionem, æquinoctiorum præceſſionem, lucis aberrationem negligere non licebat: atque ſuperflua quoque fuiſſet tanta diligentia, ſine ſublimiori atque reconditiori gravitatis doctrina, quam a Nevvtono primum traditam mira Analyſeos ſagacitate perfecerunt, atque amplificarunt deinde Viri ingenio, ſcientiaque Mathematica excellentes. Porro ſi obſervationes Mechanicamque doctrinam conjungamus, concludi certo poteſt tellurem eſſe ad polos depreſſam, & elatam ad Æquatorem. Quomodo vero ex iiſdem dimenſionibus definiatur axium telluris differentia, & conſtruantur tabulæ per quas in dato quolibet loco magnitudo gradus, tum longitudinis tum latitudinis inveniatur, ad hunc locum non pertinet explicare; quod quidem præſtitimus in noſtris commentariis Nevvtonianis. At quamvis terreſtrium axium rationem nondum tuto definitam eſſe perſuaſum omnes habeant, hæc tamen videtur accedere ad rationem non minorem quam 266. ad 265., nec majorem quam 170. ad 169., hæc autem ratio vulgo ſtatuitur 179. 178. Neque hæc differentia in latitudinis & longitudinis æſtimatione negligi poteſt; errores autem ex hypotheſi telluris ſphæricæ oriundi determinari non poſſunt ſine ſublimioris calculi uſu, quem quidem in re facili & tota fere hiſtorica adhibere non licet. At certiſſimum eſt in arte Nautica errore periculoſo peccari poſſe, tum in latitudine, tum in longitudine; conſuli poſſunt tabulæ Loxodromicæ, in quibus longitudines ac latitudines pro utraque telluris hypotheſi inter ſe conferuntur. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt veteres Geographos iis caruiſſe obſervationum & ſcientiarum adjumentis, quibus muniti ſunt recentiores, ac proinde nullum dubium eſſe poteſt quin recentior Geographia antiquiori ſit longe anteponenda. Sua tamen veteri Geographiæ non deeſt utilitas, & quidem maxima tum ad comparandos inter ſe diverſos Scientiarum ſtatus atque progreſſus, tum etiam ad legendos Scriptores antiquos, qui errarunt quidem; magni tamen homines fuere.

Ex iis autem quæ hactenus declarata ſunt, atque ex inſuperabili antiquis temporibus obſervandi difficultate, manifeſtum eſt in Mapparum Geographicarum conſtructione neceſſario veluti errore peccatum fuiſſe. *Suis* etiam nævis non carent recentiores tabulæ, quibus corrigendis meliori diligentia incumbunt hodierni Geographi. Cum terreſtres globi artefacti ſint globo terraqueo ſimiles, evidens eſt ad Geographiam repræſentandam nullum aptius inſtrumentum adhiberi poſſe, ſi in eo diſtincte deſcribi poſſent omnia Telluris loca, quorum cognitio neceſſaria eſt. Verum quia in globis vulgaribus *id* obtineri non poteſt, majores autem globi magna ſecum afferunt incommoda, tabulis planis uti neceſſum eſt; hanc neceſſitatem demonſtrat ſolus globorum communium conſpectus, in quibus vaſta Regio, ut Galliæ Regnum mappâ majori vix exhibendum, in globis etiam maximis, pedis unius longi-

gitu-

tudinem non adæquat, & in minoribus totum digito occupatur atque tegitur. At cum data globi diametro, ſegmentum quodlibet arte fieri poſſit, vaſtæ telluris regiones in talium ſegmentorum ſuperficiebus aptiſſime poſſent delineari; ſed mirum videtur nullum hactenus globorum artificem id præſtitiſſe. Et quidem Mappæ Geographicæ, utpote planæ, niſi contineant exiguos Telluris tractus qui pro planis haberi poſſunt, regionum & diſtantiarum proportionem mutant atque deformant; & eo quidem magis quo majores telluris partes repræſentant, ita ut omnium imperfectiſſimæ ſint quæ duo Telluris Hemiſphæria exhibent. Sed Mapparum vitia, earumdem conſtructione explicata, melius cognoſcentur & corrigentur facilius, quantum facere licet. Itaque Mappa Geographica nihil aliud eſt quam hemiſphærii terreſtris, vel ſegmenti alicujus in planam ſuperficiem projectio. Ut autem Hemiſphærium terreſtre vel terreſtris ſuperficiei portio aliqua in planum projiciatur, fingendum eſt, juxta perſpectivæ leges, terreſtrem portionem illam ab oculo uno tanquam puncto, conſpici ex dato quodam & immoto loco, atque inter illam portionem & oculum collocatam eſſe tabellam quæ ad faciliorem rei intelligentiam pellucida in modum vitri concipitur. Præterea imaginari oportet a ſingulis portionis repræſentandæ, ſeu in planum projiciendæ punctis, radios ſive lineas rectas per planum illud ad oculos perduci, eoſdemque radios, objecti unde emanant imaginem ferentes, ſui veſtigia in plano illo ſeu tabulâ pellucida relinquere. Porro ſingula portionis projiciendæ puncta ipſam telluris portionem propoſitam repræſentant; hujus enim figuræ partes ab oculo videntur ſub iiſdem angulis, per quos ſuperficiei datæ partes ſingulæ conſpiciuntur. Unde naſcitur eadem in oculo immoto affectio, ſive figuram in tabella depictam adſpiciat, ſive ipſam telluris portionem contempletur.

Varia autem eſt Mapparum conſtruendarum ratio pro diverſa oculi poſitione. Locus oculi ſumi ſolet in linea recta ad ſuperficiei terreſtris portionem repræſentandam perpendiculari, ac proinde per telluris centrum tranſeunte; planum autem pellucidum, ſeu Tabula in quam telluris portio data projicitur, inter oculum & portionem projiciendam ita conſtitui fingitur, ut planum illud ſit ad lineam ex oculo ad centrum telluris ductam, perpendiculare; quo fit ut illius portionis imago ordinata & formæ regularis appareat. Itaque totum artificium in eo poſitum eſt, ut in Mappa data delineetur figura ſimilis illi quæ in planum pellucidum modo ſupradicto projiceretur, ſive ut Tabula Geographica conſideretur tanquam planum illud pellucidum, & in ea inveniantur puncta omnia, quæ modo ſupra dicto deſignarentur in plano pellucido.

Conſtruenda jam proponatur Mappa Geographica, quæ hemiſphærium Telluris repræſentet projectum in planum æquatoris, oculo conſtituto in polo hemiſphærii oppoſiti, hoc eſt remoto a plano projectionis tota ſemidiametro Globi Terreſtris. Itaque repræſentandum ſit hemiſphærium Boreale, ſeu Arcticum in plano Æquatoris, ſumpto pro tabula ſeu plano pellucido, oculo conſtituto in polo Antarctico. Concipiatur jam ab omnibus locis & peripheriis Hemiſpherii Borealis emanare radios ad oculum ſive polum Antarcticum, hi radii penetrabunt planum Æquatoris; & puncta in quibus idem planum interſecant, exhibent ſingula illius Hemiſperii loca unde radii ſinguli proficiſcuntur. Æquator ipſe erit terminus projectionis ſeu imaginis totius repræſentatæ; quoniam vero radius ductus a Polo Arctico ad Polum Antarcticum eſt ipſe axis globi per Æquatoris centrum tranſiens, hoc centro repræſentabitur polus Arcticus; cumque oculus ſit in plano Meridiani cujuslibet qui per utrumque Polum tranſit, & Æquatorem biſariam ac perpendiculariter ſecat, radii ſinguli ab omnibus punctis ſemicirculi meridiani cujuſvis in Hemiſpherio Boreali ad oculum ſeu polum Arcticum ducti, planum Æquatoris perforabunt in communi interſectione plani Meridiani cum plano Æquatoris, ideoque Semimeridianus quilibet repræſentabitur per hanc interſectionem quæ eſt linea recta per centrum Æquatoris tranſiens. Quilibet circulus latitudinis ſeu Æquatori parallelus repræſentabitur per circulum æquatori concentricum; nam radii omnes a ſingulis punctis peripheriæ circuli paralleli ad oculum ducti, conſtituent conum cujus vertex eſt polus Antarcticus, ſeu oculi locus; axis idem cum axe globi ad planum Æquatoris perpendicularis, baſis autem eſt ipſemet circulus parallelus. At ſi conus rectus ſecetur plano baſi parallelo, ſectio eſt circulus cujus centrum eſt in axe coni. Ergo planum Æquatoris ſecabit conum illum, ita ut ſectio ſit circulus Æquatori concentricus, qui proinde circulum latitudinis exhibebit. Denique locus quilibet Hemiſpherii repræſentabitur in eo plani Æquatori puncto, in quo linea meridiana loci illius ſecat parallelum ejuſdem loci.

Jam vero ſi explicatas Mapparum Geographicarum conſtructiones expendamus; in mappis primi generis ſatis quidem accuratè inveniri poteſt loci cujuſvis dati longitudo; at locorum diſtantiæ regionumque proportiones mendoſè tantum indicantur. Eodem vitio laborat conſtructio altera, in qua locorum longitudines ſatis apte repræſentantur; Sed cum æquatoris gradus inæquales exhibeantur, eo nimirum majores quo propiores ſunt primo meridiano: hinc fit ut æquales telluris regiones in his mappis inæquales oſtendantur, ac proinde locorum poſitiones & diſtantiæ non ſatis commode innoteſcant. Solent quoque artifices ad uſus nauticos conſtruere mappas rectilineas, in quibus ſcilicet tum circuli longitudinis tum latitudinis per rectas lineas projiciuntur; quod quidem perſpectivæ legibus omninò repugnat. Verum quæcumque ſint vitia in mappis geographicis nullo conſtructionis artificio declinanda, has imperfectiones quæ minui quidem poſſunt, non autem omnino tolli, emendare ſciet peritus Geographus qui reconditiorem Coſmographiæ & Aſtronomiæ doctrinam cum Geographiæ ſtudio conjunxerit. Sed hæc commode tractari non poſſunt, ſine figurarum & calculorum uſu; quare brevius quam volueram cogor ſcribere. Verum quidquid dixi de recentiorum Geographorum laudibus, nemo malignè interpretetur quaſi veteribus aliquid glo-

riæ

riæ detractum velim, ſcientiæ originem atque progreſſum debemus antiquis quorum humeris, ut ita dicam, ſublati in cælum evehimur, & tam felici volatu, ut mirum omninò ſit hominem qui puncti inſtar in globo terreſtri ſeſe habet a D. O. M. ea præditum fuiſſe facultate qua univerſam ſuæ habitationis molem metiri cæleſteſque globos pari fere facilitate cognoſcere valuerit.

ORDO
CHARTARUM GEOGRAPHICARUM.

Sphæra Armillaris, pag. 24.

TABULA I. Climatum, ex Strabone potiſſimum excerpta.
II. Ventorum, & Plagarum ſecundum Veteres.
III. Hiſpania Antiqua.
IV. Gallia Narbonenſis, Lugdunenſis, & Aquitania.
V. Gallia Belgica.
VI. Britannicæ Inſulæ.
VII. Germania Antiqua.
VIII. Sarmatia Europæa.
IX. Vindelicia, Rhætia, & Noricum.
X. Pannonia, Mœſia, Dacia, Illyricum.
XI. Italia Antiqua.
XII. Gallia Ciſalpina.
XIII Italia Media, ſive propria.
XIV. Latii utriuſque delineatio.
XV. Græcia Magna, ſive Pars ultima Italiæ.
XVI. Regiones Italiæ ex Auguſti Cæſaris Diviſione.
XVII. Sicilia Antiqua.
XVIII. Græciæ Antiquæ, & Inſularum Conſpectus.

TABULA XIX. Macedonia, Theſſalia, Epirus.
XX. Hellas, ſive Græcia propria.
XXI. Thracia Antiqua.
XXII. Aſia Minor.
XXIII. Boſporus, Mæotis, Iberia, Albania, & Sarmatia Aſiatica.
XXIV. Syria.
XXV. Paleſtina, ſeu Terra Sancta.
XXVI. Arabia Petræa, & Deſerta.
XXVII. Meſopotamia, & Babylonia.
XXVIII. Oriens.
XXIX. Scythia, & Serica.
XXX. Ægyptus, & Cyrenaica.
XXXI. Ægypti Delta, & Nili Oſtia.
XXXII. Africa propria.
XXXIII. Mauretania, & Numidia.
XXXIV. Africa Interior.
XXXV. America Septentrionalis, & Meridionalis.
Anemometrum Antiquum, pag. X.

INTRODUCTIO IN GEOGRAPHIAM.

GEOGRAFIA eſt notitia globi terreſtris, maribus & aquis intermiſti. Tellurem eſſe ad ſenſum ſphæricam oſtendit umbræ terreſtris figura in Eclipſi lunari ſemper conica; umbra enim circularis non poteſt projici niſi a corpore proxime ſphærico. Huic autem rotunditati nihil obſtant altiſſimi etiam montes & profundiſſimæ valles; tales ſi quidem inæqualitates velut nullæ haberi debent, ſi cum integro telluris orbe conferantur. *Excelſa*, ait Seneca, lib. IV. quæſt. Nat. Cap. XI. *ſunt montium cacumina, quandiu nobis comparantur; at vero ubi univerſa reſpexeris, manifeſta eſt omnium humilitas*.

Terrarum mariumque globus commodiſſime dividi poteſt tripliciter; mathematice, phiſice, politice. De ſingulis diviſionis noſtræ partibus breviter agemus.

I.

DIVISIO ORBIS MATHEMATICA.

MAthematice globus terrarum in zonas & climata dividitur, quæ cum ſine circulorum notitia intelligi non poſſint, quam breviſſime fieri poteſt, illos delineabimus circulos, quorum inſignis in geographia uſus eſt.

Æquator inter majores circulos, hoc eſt, qui ſphæram æqualiter dividunt, primo loco conſiderandus eſt. Æquinoctialis etiam linea, & ſimpliciter linea, a Nautis dici ſolet. Prædictus circulus medium Zonæ torridæ tenet, per Africam, Americam & inferiores Aſiæ partes in Indicis regionibus tranſiens; æſtimandæ locorum longitudini inſervit. Meridianus per polos tranſiens & per illam plagam quam Sol in meridiei puncto attingit (unde etiam nomen accepit,) toties variatur, quoties varius in hemiſphærio ab ortu occaſum verſus, aut ab occaſu in ortum tractus adſumitur; in oppoſitum hemiſpærium protenduntur iidem Meridiani. Geographi unum illorum quem *primum* dicunt, ſibi curæ habent, a quo principium longitudinum ſumere ſolent, in occidentali parte Europam inter & Americam. Sed quod maxime dolendum eſt, in hoc defigendo ita variant geographi, ut ex primi meridiani inconſtantia graviſſimum incommodum capiant Geographiæ ſtudioſi: Sed hac de re plura dicemus inferius, ubi de locorum longitudine. Horizon viſus noſtri finitor quid conferat ad ſtudium geographiæ ex uſu globi terreſtris, quem ſubjiciemus, cognoſcetur. Tropici duo ſunt circuli minores, *Cancri* alter, qui zonam torridam a Septentrionali temperata diſterminat; alter *Capricorni*, qui auſtralem temperatam a torrida diſtinguit. Hos inter oblique Zodiacus aut Ecliptica in cœlo extenditur, unde temporum tempeſtatumque in terris pendent differentiæ; ut ex globi uſu deinde manifeſtum fiet.

Minimi omnium circulorum ſunt duo Polares *arcticus* Septentrioni vicinus, & *antarcticus* huic ad auſtralem polum oppoſitus. Polares circuli zonas frigidas diſcriminant a temperatis, reliquos circulos ex doctrina ſphærica licebit intelligere; quos in præſentia attingimus, ut pote præ cæteris utiliores, indicaſſe ſufficiat. Nunc de Zonis.

ZONÆ ſunt quinque. Torrida inter duos tropicos latiſſime expanſa, medium æquatorem habet, a quo in partem Septentrionalem auſtralemque diſtinguitur.

Torridæ nomen dedit vis Solis vertici imminentis vehementior; unde inhabitabilis olim credita fuit. Peregrinationibus autem deprehenſum eſt hanc zonam, ut amplior cæteris eſt, ita infinita hominum animantiumque multitudine abundare; cum æqualitate dierum & noctium perpetua, altiſſimorumque montium umbra, nec non maximorum fluminum copia, quidquid exſuperantis caloris eſt, provida natura temperavit. Quæcumque in terris pretioſiſſima reputantur, copioſiſſime in hac Zona inveniuntur.

Temperata Septentrionalis inter tropicum cancri & circulum polarem arcticum continetur. Si ingenia hominum reſpicias & res geſtas, hæc præſtantiſſima omnium eſt, artium inventrix & cultrix, majorem Aſiæ Europæque partem complectens. Quæ huic opponitur Zona.

Temperata Auſtralis, parum cognita eſt, ſi demantur Africæ & Americæ litora. Affectiones cœli temporumque habet noſtris contrarias, ut in uſu globi oſtendemus.

Tandem duæ *frigidæ* ſunt, frigoribus nimium rigentes, AQUILONALIS altera a polari arctico ad cognominem polum procurrens; altera MERIDIONALIS, ad Auſtrum ab antarctico polari vergens. Hæc tota incognita eſt. Utriuſque ſingulares affectiones in uſu globi explicabimus.

Latitudinem ſingularum zonarum ex globis aut tabulis facile cognoſcimus. Torrida utrinque ab æquatore XXIII. & dimidio gradibus ſive circuli partibus: temperata alterutra ſuum polum verſus gradibus XLIII. recurrit; quod ſupereſt ſpatium utrobique relinquitur frigidis, eſtque tantum verſus polum alterutrum, quantum torrida zona ab æquatore ad alterutrum tropicorum patet. Unus autem majoris circuli gradus LXXIV. & dimidio circiter milliariis italicis expletur.

CLIMATUM minor hodie quam olim fuit, uſus eſt; cum longe expeditiores rationes ſint atque accuratiores, quæ ex locorum latitudine, altitudini poli reſpondente, petuntur, quam quæ ex laxiore climatum diſtinctione. Eſt autem clima tractus inter duos circulos æquatori parallelos, aut inter ipſum æquatorem & parallelum, tantæ latitudinis, quantam poſtulat ſemihoraria longiſſimi diei differentia. Cum vero dies longiſſimus augeatur a XII. ad XXIV. horas, etiam XXIV. climata ab æquatore ad polarem utrinque conſtituuntur, ita ut in univerſum climata ſint XLVIII. numero, XXIV. cis æquatorem & totidem trans eundem.

Ultra polares climata non extenduntur, quia incrementa diei ibi non ſunt horaria, ſed hebdomadum aut menſium integrorum. Veteres autem, ut pote qui Septentrionem & auſtrales regiones parum cognitas habuere, paucioribus climatibus VII. vel IX. contenti fuerunt, quibus nomina ex locis eorum inſignioribus impoſuerunt, nempe Alexandrinum, Rhodium &c.

Ex diviſione in zonas & climata terricolæ varie appellantur, & quidem;

I. Reſpectu umbræ *aſcii*, id eſt, ſine umbra, in zona torrida & eo tempore, quo Sol meridianus ipſis eſt verticalis: *amphiſcii* in eadem zona, qui utrinque cadentem umbram meridianam diverſo tempore, habent, Septentrionalem nempe & meridionalem: *Heteroſcii* in zonis temperatis, quibus umbra meridiana ad alterutram plagam perpetuo cadit: *periſcii* in zonis frigidis ubi, cum æſtivo tempore perpetuus dies ſit, Sole horizontem non egrediente, fit ut umbra in circulum quaſi redeat. *Antiſcii* qui contrariam umbram habent; vel ſemper, quales reſpectu Europæ ſunt omnes qui ultra tropicum capricorni auſtrum verſus habitant; vel certo tempore, quales ſunt Arabiæ felicis quidam incolæ, qui Pompeii arma in Græciam ſecuti, Lucano (Lib. III. verſ. 248.) dicuntur;

Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras:

Quod etiam mirati ſunt ex Taprobane legati, Claudii principatu, auctore Plinio Lib. VI. Cap. XXII.

II. Reſpectu ſitus & cohabitationis, atque ita ſunt *antipodes* noſtræ terræ prorſus oppoſiti: *antæci* qui eandem longitudinem trans æquatorem habent, quam nos habemus cis eundem & viceverſa: *periæci* qui in eadem nobiſcum Zona ſub eadem poli elevatione habitant circumcirca; ſed ſpeciatim hoc nomine appellantur qui longitudine CLXXX. graduum, id eſt, integri ſemicirculi a nobis diſſident.

Quod ut intelligatur, longitudo & latitudo locorum paucis explicanda eſt. Longitudo loci eſt tractus ab occaſu in ortum, cujus menſura ſumitur in æquatore. Quia vero omnis circulus in CCCLX gradus dividitur, gradus vero in LX. minuta, eadem ſupputandi ratio in geographia uſurpatur. Utinam vero certius eſſet computationis initium, & tandem geographi in primi meridiani conſtitutione conſentirent. Maximus enim eſt, de quo ſupra conqueſti ſumus, hac in re diſſenſus; plurimorum tamen in eo concordia eſt, ut inter Braſiliæ litora & Canariæ inſulas hunc principem meridianum ducant, vel per Teneriffam aut Palmam Canarias, vel per aliquam de Cabo verde aut etiam Ilandricarum inſularum.

Latitudo vero eſt tractus ab æquatore ad polum alterutrum, ejuſque menſura ſumitur in meridiano. Convenit autem loci latitudo cum poli elevatione ejuſdem loci, quantum ad numerum graduum attinet; quod ſchemate vel globo facilius quam verbis ullis demonſtratur. Cum vero duo ſint poli, latitudo quoque duplex eſt, Septentrionalis, ab æquatore Septentrionem verſus, & Auſtralis ab æquatore polum verſus antarcticum.

Hinc magnitudo terreni globi cognoſci poteſt, ſi ſuppoſueris cujuslibet majoris circuli gradum in terra abſolvere LXXIV. cum dimidio milliaria italica. Quod ſi CCCLX. gradus (totidem habere circulum diximus) multiplicaveris per LXXIV. cum dimidio, prodibit ambitus noſtri orbis nempe 26820, milliaria italica.

Huc quoque pertinet diviſio in cardines *Orientem*, EST: *Occidentem*, OVEST: *meridiem* SUD: *Septentrionem* NORD. Unde venti cardinales nominantur *Eurus* ſeu *Subſolanus*, *ventus eſt*. *Zephyrus* ſeu *favonius*, *ventus Oveſt*: *auſter* ſeu *notus*, *ventus Sud*: *Boreas* ſeu *aquilo*, *ventus Nord*. Intermedii venti a nautis numerantur XXVIII., ex quibus præcipui ſunt: *Nord eſt*: *Sud eſt*: *Nord oveſt*: *Sud oveſt*: Venti autem his interpoſiti ex vulgaribus ſchematiſmis petantur. Quod enim extra navigationem vix obſervatur, prætermittimus. Iis vero intermediis, quos enarravimus, reſpondent ferme apud latinos *cæcias*, *vulturnus*, *caurus*, *africus*, *favonius* quorum interpretationem videbis apud Gellium lib. II. cap. XXII.

Ex plagis ſeu cardinibus pendet etiam poſitio mapparum ſeu tabularum, quæ, ſi recte & ordine conſtitutæ ſunt, orientem a dextra, occaſum a læva, ſeptentrionem ſuperiori parte, ab inferiore meridiem tenent. Cum ergo hic ordo naturalis ſit (cynoſuram enim ſpectanti) ut dicam in plagarum controverſia, ſemper dextrorſum oriens eſt, ſublato ſeptentrione, depreſſo auſtro,) ordinem invertunt & ineptiſſime perturbant, qui tabulas alia ratione proponunt.

II.

DIVISIO ORBIS TERRARUM PHYSICA.

PHyſice Globus noſter dividitur in partes terrenas & aqueas. Terrenæ ſunt

I. Continens, terra mari non dirempta, ſeu ex qua in aliam ſine navibus tranſiri poteſt, ſicut v. g. Germania eſt continens reſpectu Italiæ, non autem reſpectu Britanniæ.

II. Insula quæ eſt undique mari cincta. Inſularum aliæ ſunt majores, ut *Britannia*, *S. Laurentii*, *Sumatra*, *Borneo*; & aliæ mediocres, ut *Hibernia*, *Sicilia*, *Sardinia*, *Creta*, *Ceilon*, *Hiſpaniola*, *Cuba*. Quædam parvæ. e. g. *Scelandia* Daniæ, *Corſica*, *Eubœa*, *Lemnus*, *Cyprus*, *S. Helena*. Tandem minores aliæ ſunt innumerabiles, ex quibus eas tantum nominare viſum eſt, quæ multitudinis numero enunciantur, ut ſunt *Canariæ*, *Virides*, *Aſores*, ſive *Ilandriæ* in oceano Atlantico.

Orcades ſuprà Scotiam: *Ægates*, & *Æoliæ* juxtà Siciliam: *Baleares* ad Hiſpaniam: *Strophades* in Jonio mari; *Cyclades* & *Sporades* in Ægeo: *Maldivæ*, *Moluccæ* & *Philippinæ* in Indico oceano: *Inſulæ Salomonis* in mari Pacifico.

III. Peninsula maximam partem mari cincta, aliqua tamen parte continenti adhærens. Nobiliores ſunt; *Peloponeſus*, *Cherſoneſus aurea*, *Cimbrica*, *Taurica*, *Thracia*.

IV. Isthmus anguſta terra, qua Peninſula continenti adhæret; & totidem ſunt Iſthmi quot Peninſulæ. Imprimis celebratur *Corinthiacus* & *Panamenſis* Americam Septentrionalem jungens parti Auſtrali.

V. Mons eſt portio terræ prominens, inæqualis, ac proindè diſtans inæqualiter a centro gravium communi. Montium altiſſimus vulgò creditur eſſe *Picus* in inſula Teneriffa, quæ una eſt ex Canariis ſive fortunatis; huic forſan æqualis *Sierra Liona* (Mons Leonum) in Guinea Africæ, item *Atlas*.

Montes quidam etiam ſunt *Ignivomi*, ut *Ætna*, non tantum veterum Poetarum fabulis magnoperè famoſus, ſed inſigni quoque variorum temporum clade, quam Siciliæ ad noſtram uſque ætatem attulit. Deindè *Veſuvius* incendio ſuo, ut fertur, Plinium majorem ſuffocans, nec minus noſtris temporibus exitialis frequentioribus incendiis. His montibus ignivomis annumerari debent *Hecla* Islandiæ, & permulti alii montes in India orientali & occidentali, quos deſcribit Varenius Geograph. p. 101.

Montes qui longiore tractu procurrunt, *Juga* dicuntur, cujuſmodi ſunt *Pirenei* montes, *Apenninus*, *Taurus*, *Caucaſus*, *Riphei*, *Carpatici*, montes *Lunæ*, juga *Peruana* Americæ omnium longiſſima.

VI. *Promontorium*, mons eſt in mare prominens. Calabria promontoria ſunt Siciliæ tria, *Pelorum*, *Pachynum*, *Lilybæum*: Peloponeſi *maleum*, quod aureum piratæ a ſpoliis vocabant: *Mycale* ad Joniam: Africæ *Cabo verde*, celebratiſſimumque *Bonæ ſpei*.

VII. Portæ ſunt anguſti tranſitus per montes, rupes, aut inter montem & mare. Græci *Pylas* vocant, Latini *Fauces*, *Clauſtra*. Notiſſimæ ſunt *Thermopylæ* in Græcia, quarum ſitum deſcribit Livius lib. XXXVI. cap. XV. Sunt prætereà *Ciliciæ Pylæ*, *Italiæ fauces*, *Portæ Caſpiæ*, *Caucaſiæ* & aliæ. Litora, Silvæ, Rupes, Fodinæ & cæteræ per ſe notæ partes prætermittuntur.

Partes aqueæ ſunt

I. Mare, generis nomen, cujus ſpecies ſunt, *Oceanus*, *Sinus*, *Fretum*, & interdum *Lacus* ac *Æſtuaria*.

II. Oceanus eſt mare Orbem habitabilem circumfluens. A regionibus, quas alluit variè nominatur, ut *Atlanticus*, *Æthiopicus* (uterque Nautis *mare Septentrionale* dicitur, quamvis minus propriè) *Indicus*, *Hyperboreus* &, aut a qualitate ſua, ut *mare Pacificum* (*mare Meridionale*) quo ex America in orientalem Indiam placido curſu navigatur.

III. Sinus eſt excurſus marium in terram; eſtque vel *oblongus*, ut mare Mediterraneum, quod quia longiſſime in terras incurrit, *Internum mare* Plinio dicitur lib. III. proem. & cap. IV. Sinus Arabicus, Perſicus & reliqui: vel *latus* ut *Gaditanus*, *Mexicanus*, *Gangeticus* & horum ſimiles.

IV. Fretum eſt anguſtia maris. Celebriora freta ſunt Herculeum ſeu Gaditanum, Britannicum, Danicum, Siculum, Helleſpontus, Euripus Eubœæ, Boſphorus Thracius & Cimmerius, fretum Magellanicum, Bantamicum.

V. Lacus eſt copia aquarum undique terris cincta, navigabilis plerumque, fluvium tranſmittens, ſaltem recipiens. Quidam eorum maris nomen retinent, ut *mare Genneſareth* ſeu Galileæ, *mare Mortuum*, quorum illud Jordanem recipit emittitque; hoc tantum recipit. Prætereà hùc pertinent *Mæotis palus*, & *lacus Lemanus* Rhodanum per ſe tranſmittens, & *Acronius* tranſmittens Rhenum: maximus verò lacuum eſt *mare Caſpium*, ſive *Hircanum*, hodie *mare de Sala*, quod perperam veteribus Sinus Oceani Septentrionalis credebatur eſſe.

VI. Palus differt a Lacu, quod hæc aliquando exſiccatur, lacus nunquam. Interdum palus ac lacus idem ſunt, ut *Mæotica Palus*.

VII. Æstuaria loca ſunt depreſſiora, mari aut flumini vicina, aquis exundantibus oppleta. Navigari interdum poſſunt, & exindè, refugiente unda, in alium ferri. Vide Cæſarem, Tacitum, alios.

VIII. Nec prætereunda videtur quod Itali *Spiaggia* dicunt, quo latus litoris vel mare litori propinquum ſignificatur. Poſſent quoque flumina, thermæ, acidulæ, ſalinæ adjungi; verum quia per ſe ſunt notæ ſignificationis, mittimus, ſi digna erunt, ad ſingula loca, ubi inveniuntur, horum quoque mentionem facere.

III.

DIVISIO ORBIS POLITICA.

POliticè tandem orbis dividitur ſecundum Imperia, Regna, Dominia &c. e. g. *Imperium Romanum*, *Regnum Hiſpaniæ*, aut in regiones & nationes, v. g. *Indiam*, *Scythiam*, *Parthiam*, *Syriam &c.* Singula infrà explicabuntur ordine. Et quia hæc tam diverſa dominia quatuor magnis partibus concluduntur, *Europa*, *Aſia*, *Africa*, *America*, non abs re erit illarum hoc loco diviſionem & terminos appoſuiſſe.

Europam a Septentrione & Occaſu terminat Oceanus, a Meridie mare Mediterraneum, ab ortu mare Ægeum, Propontis, pontus Euxinus, Mæotis palus cum fluvio Tenai, ſupra quem Europæ & Aſiæ termini confuſi incertique ſunt.

Asia terminos habet ab occaſu communes cum Europa: ab ortu & Septentrione Oceanum: a Meridie clauditur Oceano Indico, Sinu Arabico, Iſthmo Ægypti & parte maris Mediterranei. Veteres ad Nilum uſque aut Catabathmum extendebant; ſed propior naturæ rerum eſt hodierna diſtinctio, quæ Sinum Arabicum cum Iſthmo Ægyptiaco, terminum occidentalem ponit. Sic ex recentiorum ſententia.

Africa eſt magna Peninſula, undique Oceano Atlantico, mari Mediterraneo clauſa, præter exiguam Ægipti partem, qua continenti Aſiæ adhæret. Verum qui termini apud Veteres ex oriente fuerint, jam in Aſia, quæ communes illos cum Africa habuit, cognovimus.

America omnium maxima pars, ſpeciem referens duarum Peninſularum communi Iſthmo cohærentium, ſi ex Septentrione ab Europa, & Aſiæ Oceano aut freto dirempta eſt. Nam incertior res eſt, & multis perſuaſum, cum noſtro ibidem orbe, ut continentem terram cohærere. Sed quæcumque facies Septentrionis eſt, cæteri termini certiores ſunt, oceanus nempe, ſive Maria del Nort, del Zur, & pacificum cum fretis Magellanico, & *le Maire*. De ſingulis infra diſtinctius.

His diviſionibus terrarum orbis adjungimus menſurandi rationem, nec non terreſtris globi uſum.

IV.

MENSURÆ GEOGRAPHICÆ.

PRincipia menſurandi geographice ſunt *gradus* & *minuta* quibus, ut ſupra diximus, tam longitudo locorum quam latitudo exprimi ſolet, idque non ſolum a Geographis, ſed a nautis etiam, qui utrumque, præſertim latitudinem, docte explorare, & accurate gradibus determinare didicerunt.

Vulgo diſtantias per *milliaria* dimetiuntur Geographi. Romani dimetiebantur per *lapides*, aut *millia paſſuum*: Græci per *ſtadia*, Ægiptii per *ſchænos*, Perſæ per *paraſangas*, Galli *leucis* utuntur. Hæc inter ſe comparare qui noverit, facile cujuſlibet gentis ſermones, & ſcripturas hac in parte intelliget.

Stadium vulgo ex Plinio centum viginti quinque paſſus, non vulgares, ſed geometricos continere dicitur, ſeu octavam partem milliaris italici, a mille paſſibus ſic denominati.

Deinde *milliarium Germanicum* mediocre horum paſſuum quater millia comprehendere cognoſcitur. Quod ſi ita ſe habeat, octo ſtadia erunt milliare Italicum, quod *lapis* dicitur juxta antiquum loquendi modum, *tertio ab Urbe lapide* &c. quia in Italia ſtratis viis milliaria ſingula ſingulis lapidibus erectis ſignificabantur: triginta vero & duo Stadia complent unum milliare germanicum. *Paraſanga* Perſarum ſecundum Herodotum lib. II. cap. VI. habuit triginta Stadia, ut ut alii *ſexaginta* malunt. Strabo de hac re dubius lib. XI. eſt, etiam quod Hylander in notis obſervat, mendoſus.

Schænus Ægiptiorum, quod Strabo lib. XVII. docet, admodum variat. Alibi enim XXX. Alibi LX. aut plura Stadia continere dicitur. Herodotus dicto loco ſtatuit Stadia LX. in cujus ſententia, tamquam medii inter maximum minimumque numeri, acquieſcunt eruditorum plurimi.

Leuca gallica, ut Jornandes de Reb. Get. cap. XXXVI. definit, mille & quingentorum paſſuum eſt; verum has leucas ſibi non utique conſtare certum eſt.

In globo ſuperficiariam diſtantiam quodammodo invenimus, ſi quadrans æneus, aut chartaceus utrique ſimul loco applicetur & gradus, quibus diſtant, in milliaria convertantur. Sed hæc incertior & tumultuaria eſt cognitio; accuratius inveſtigatur beneficio trigonometriæ ſphæricæ.

Cavendum vero eſt, ne quis vulgari calculandi modo multum fidat, terreſtres arcus velut lineas rectas conſiderando; quod quidem facere non licet in magnis intervallis; cum enim rotunda ſit tellus, in

in rotundis diſtantiæ non poſſunt inveſtigari, niſi trigonometriæ ſphæricæ præceptis.

Quod ſi contingat ut longitudine conveniant loca duo, ſine labore diſtantia invenitur, ſi ſola latitudinis differentia, quando ſunt verſus eundem polum, in milliaria convertatur; ſin alter locorum eſt cis Æquatorem, alter trans eundem, aggregatum utriuſque latitudinis in milliaria converti debet.

Pari modo res peragitur facile, ſi uterque locorum, quorum diſtantia quæritur, ſub Æquatore ſitus eſt; v. g. Inſula S. Thomæ & Sumatra: tum enim ſola longitudinis differentia in milliaria reſolvitur.

Reliqui caſus non poſſunt accurate abſque trigonometria & canone ſinuum ac tangentium expediri. Nec vero tam difficilis res eſt uti multis videtur, ſed brevi ductu & modica induſtria ſuperatur quidquid impedimento eſſe poterat, & ab utiliſſimo pariter ac jucundiſſimo exercitio deterrere: Scilicet quoties diſtantia locorum extra Æquatorem & longitudine & latitudine differentium quæritur, tunc ſolvendum eſt triangulum, cujus cognita ſunt duo latera, complementa latitudinis cum incluſo angulo, cujus menſura eſt longitudinis differentia.

His cognitis, facile diſtantiam quæſitam inveniet, qui non prorſus hoſpes eſt in nobiliſſimo trigonometriæ ſtudio. Tunc demum poſſumus certi eſſe de vera locorum intercapedine & ita accuraté, ut & in longiſſime disjunctis locis ne uno quidem milliario aberremus. Ipſa vero longitudo & latitudo locorum, quæ prima hujus dimenſionis fundamenta ſunt, ex accuratioribus tabulis ſive mappis, vel ex confectis in hanc rem urbium locorumque catalogis haberi poteſt. Oportet autem tabulas binas, ſi ſpeciales ſunt, ex quibus duorum locorum, pro diſtantia quærenda, longitudines petis, unius auctoris eſſe, ſaltem communi termino primi meridiani convenire, quod niſi obſervaveris, a vero longè aberrabitur.

V.

USUS GLOBI TERRESTRIS.

QUanquam ex planis etiam tabulis quæ gradibus & minutis diſtinctæ ſunt, non ſolum circuli & Zonæ, ſed longitudo quoque & latitudo locorum, item antipodes, periæci, antæci, & aliæ adfectiones cognoſci poſſunt; tamen ex rotunda machina quæ terræ formam exacte repræſentat longe expeditius hæc omnia intelliguntur, & inſuper alia non pauca quæ fruſtra ex planis quæſiveris. Quæ præcipuæ utilitatis ſunt, pro modulo brevitatis noſtræ delineamus.

I.

GLOBUM TERRESTREM PRÆPARARE.

HOc ita peragitur ut, ante omnia, globus ad mundi plagas conformetur, ut polus polo, oriens orienti, & ſic cæteræ plagæ ſibi reſpondeant. Deinde quanta cujuslibet loci latitudo eſt, tantus arcus meridiani ab horizonte ad vicinum polum elevetur. Tandem quæſitus in terra locus ſub meridianum ducatur, ita ut verticale punctum in globo obtineat.

II.

LATITUDINEM LOCI DETERMINARE.

QUod latitudo loci diſtantia ejuſdem ab æquatore, eſt verſus polum alterutrum; illa in meridiano æneo gradibus exculpta invenitur, & locum quæſitum ſubter hunc circulum duxeris. Gradus autem planè idem deprehenditur, qui elevationis poli in dicto loco, ut ſupra diximus.

III.

LONGITUDINEM LOCI DETERMINARE.

LOngitudo eſt diſtantia [illegible]o meridiano æquatoris gradibus determinata, quæ invenitur applicato loco ad meridianum æneum, qui ſic æquatorem in illo gradu ſecabit.

IV.

ANTIPODAS, ANTÆCOS, ET PERIÆCOS EX GLOBO COGNOSCERE.

GLobo ita, ut num. I. præſcriptum fuit, præparato, punctum *pedale* oſtendit *antipodas*.

Latitudo æqualis polum alterum verſus cum longitudine eadem oſtendit *Antæcos*: *Periæci*, ſive circumhabitantes ex communi latitudine per totum tractum circularem intelliguntur; maximè vero, qui ſemicirculo a nobis abſunt, hoc eſt, qui latitudinem cum noſtra communem, longitudinis autem differentiam ſemicircularem, ſeu CLXXX. graduum habent, ita nominari a Geographis ſolent.

V.

DIVERSITATEM SPHÆRARUM EXPERIRI.

SI globus præparatus pro loco, qui ſub æquatore eſt, vel propè illum, non aliam quam *rectam Sphæram* habet, hoc eſt, talem, in qua æquator per zenith, ſive verticale punctum tranſit, & rectos cum horizonte facit angulos. Sin pro loco extra æquatorem præparaveris, reddetur *Sphæra obliqua*, hoc eſt, talis qua plures circuli, præcipuè æquator, obliquè ab horizonte adſurgunt. Ubi verò locum polo vicinum in vertice conſtituas, habebis *Sphœram parallelam*, ſaltem propius vergentem ad illam: *parallela* autem dicitur, quia plures in ea circuli ſunt horizonti paralleli.

VI.

ÆSTATIS, ET HYEMIS INTERVALLA DEFINIRE.

SIt ne, videas, locus in zona torrida, hoc eſt, intra tropicos, & Solis viam, an extra illam. Si intra eſt, hec tamen in extremitate, bis æſtatem totieſque hyemem quotannis habebit; cum æſtas ex acceſſione Solis, hyems ex diſceſſu oriatur. Qui extra tropicos in temperatis zonis habitant, ſemel æſtatem in anno habent ex Sole propinquiore; ſemel hyemem ex remotiore, ita tamen alternis vicibus hæc permutantur, ut cum noſtræ zonæ æſtas eſt, hyems ſæviat in temperata auſtrali; quando nos hyeme urgemur, illic æſtas incaleſcat. Eædem etiam veris, & autumni eodem tempore viciſſitudines ſunt. In frigidis zonis, cum propter parallelam ſphæram, aut parallelæ propinquam dimidia pars Zodiaci ſemper elevata ſit, altera pars ſemper depreſſa, & occultata, non poteſt aliter fieri quam ut Sole in partis elevatæ ſignis verſante, continuus dies appareat; & Sole in ſignis ſub horizonte depreſſis exiſtente, non interrupta nox cum ſæviſſima hyeme premat. Sunt verò & frigidis zonis ſuæ vices, & cum in ſeptentrionali ſemeſtris nox & hyems eſt, totidem menſium luce, ac tepidiore tempeſtate fruitur frigida auſtralis. Viciſſim, cum auſtralem nox & hyems oppreſſit, ſeptentrionalis diem habet, & pro radiorum obliquitate, quadrantenus æſtatem.

VII.

DIEI, ET NOCTIS SPATIA PRO QUOLIBET LOCO, ET TEMPORE DETERMINARE.

GLobus dicto modo præparetur: & cum in terreſtri globo etiam eclyptica deſcripta ſit, locum *Solis* pro dato die ducas ſub meridianum, & indicem horarium dirigas ad punctum meridiei. Hinc revoluto globo, ortum & occaſum Solis pro quovis loco invenies, etiam horam utriuſque horario indice ſignificatam; pari ratione noctis quantitas explorari poteſt.

VIII.

DISTANTIAS LOCORUM INVESTIGARE.

HÆc ſuperius dicta breviori modo, & paululum mutata repetere liceat. Si loca habent communem longitudinem, ſub meridianum ducantur, & gradus inter utrumque in meridiano intercepti, per milliaria gradui uni reſpondentia multiplicentur. Si longitudo diverſa eſt, poteris circini intervallo utrumque locum comprehendente (quod poſtea alicui majori circulo applicabis pro gradibus, & milliaribus determinandis) id aliquo modo cognoſcere. Idem in aliarum quarumlibet diſtantiarum inveſtigatione uſurpari poteſt. Verum cum in globo propter ſpatii anguſtiam pauciſſimæ urbes expreſſæ ſint, & planæ figuræ inæqua-

inæqualiter extendantur, compreſſe in medio, ad latera ſive in extremis dilatatæ; inutilior in pleriſque fit circini uſus, præſertim ſi longior diſtantia ex generaliore quadam tabula quæratur: nec alius modus inveniendi diſtantias ſupereſt, quem accuratiſſimum diximus, trigonometria ſphærica peragendus. Hæc in limine aut veſtibulo præmonend. erant, nunc penetralia geographiæ ingredienda ſunt, tum *antiquæ* pro veterum Scriptorum interpretatione meliori, tum *novæ*, pro uſu noſtrorum temporum.

CAPUT PRIMUM.

DE HISPANIA ANTIQUA.

HISPANIA Pirenæis montibus, Mediterraneo mari, freto Herculeo, & Oceano terminatur. Fluvios majores habet *Iberum*, qui in Mediterraneum mare; *Bætim*, *&* *Anam*, qui in ſinum Gaditanum: *Tagum*, *Durium*, *&* *Minium*, qui in Oceanum occidentalem ſe exonerant. Minores aut minus nobiles ſunt *Cinga*, *&* *Sicoris*, qui mixti in Iberum effunduntur: *Sucro*, *&* *Turias* inter Saguntum & Carthaginem Novam: *Monda* inter Durium & Tagum: & fabuloſus *Oblivionis* Fluvius Limæas, ultra Luſitaniam in Septentrione.

Romanis vel *citerior* erat, quæ & *Tarraconenſis* dicitur: vel *ulterior*, cujus duæ partes erant; ſuperior *Luſitania*; inferior *Betica* provincia.

TARRACONENSIS Hiſpania per omnem citeriorem partem latiſſimè patuit, eidemque Auguſti diviſione, *quidquid* ſupra Durium eſt, acceſſit. Nomen dedit *Tarraco*, caput provinciæ, opus Scipionum, ad mare *Mediterraneum*, cis fluvium Iberum. In eodem maritimo tractu Pyrenæos verſus, *Barcino*, hodie *Barcelona*, *Emporiæ*, *Gerunda*, *&* *Rhoda* fuerunt: trans Iberum *Dertoſa*, *Saguntus*, excidio ſuo ſecundum Punicum bellum excitans, *Valentio*, *Carthago Nova*, Punicæ provinciæ urbs primaria, Romanorum expugnatione nobilior facta. Ad Iberum *Cæſarauguſta*, *&* *Julia Celſa*, ipſo nomine auctorem ſignificante: & fame nihil non experta *Calaguris*, in Sertoriano bello. Prope Durium *Clunia*, & Romano bello nobiliſſima *Numantia*. In Meditullio *Toletum* ad fluvium Tagi inter Durium & Oceanum, *Aſturica*, *Auguſta Lancia*, & magis in occaſum Solis vergens *Gallaica*, ſive *Gallæcia* regio, unde Bruto Gallæci cognomen acceſſit. Inter Pyrenæos, & Iberum *Oſca* mediterranea, & ſub montibus *Pompejopolis*, ſive *Pompelon*, Pompeji ex Sertoriano bello, ut creditur, monumentum. Fuerunt etiam minores Civitates, *Bilbilis* inter Numantiam, & Cæſarauguſtam media, Martialis poetæ patria: & *Ilerda* (nunc *Lerida*) prope Sicorim amnem, ubi Cæſar Pompeji ſub legatis exercitum in deditionem accepit: *Segovia*, ſive *Segubia* in Arevacis, vetuſti aquæductus opere hodieque clara: *Palantia*, & in confinio Bæticæ inter Anam, & Bætin *Caſtulo*.

Populi hujus Provinciæ fuerunt, ab occaſu Solis *Gallaici*, dein *Vaccæi*, *Arevaci*; & in Septentrionali parte Cantabri ad Oceanum qui Cantabricus inde appellatur. Sub Pirenæis Vaſcones: ad Iberum vergentes *Celtiberi*: *Ilergaones*, *Ilergetes*, & ad Galliæ fines, *Auſetani*.

BAETICA ab Ana Fluvio in meridiem ad mare uſque prolata. Mediam dividit interfluens *Bætis*. Trans Bætim, ſive inter hunc, & Anam, eſt *Corduba*, Senecæ, & Lucani patria: *Italica*, auguſtorum cunabulis, Trajani, & Hadriani clara: *Pax Auguſti*, Badajox hodie, quam Anas alluit. Cis Bætim *Hiſpalis*, nunc *Seville*; *Munda*, ad quam Cæſar Pompeii filios profligavit: *Ugaon*, *et Ulla*, eodem bello memoratæ: ad Mare *Malaca*: inter oſtia Bætis *Tarteſſus*: ad fretum *Carteja*, *Calpe*, urbs, & promontorium, cui in Africa aliud, Abyla, reſpondet, quæ famoſæ ſunt columnæ Herculis: in ſinu Oceani Gades, parva inſula, ſed magni nominis Civitas, colonia Tyriorum.

Populi Bæticæ *Turdetani*, *Turduli*, *Baſtuli*, & alii recenſentur.

LUSITANIA reliqua partem te..et ad occidentalem Oceanum, inter Durium, & ſinum Gaditanum.

A Bætica diſtinguit Anas fluvius, in cujus ripa *Auguſta Emerita* poſita eſt, caput regionis, Auguſti Cæſaris colonia. *Ebora* (hodie *Evora*) etiam *Liberalitas Julia* dicta: & ad Tagi oſtium, auriferis arenis celebrati, *Oliſippo* (*Lisbone*) quam ab Ulyſſe conditam veteres crediderunt: *Conimbrica* ad Mondam fluvium: *Meidobriga*; *Julia Myrtilis*, *&* *Norba Cæſarea*.

Populi Luſitaniæ fuerunt *Luſitani*, *Vettones*, & ex parte *Turdetani*, *Turduli* *&c.*

Inſulæ Hiſpaniæ ſunt in mari Mediterraneo duæ, *Pityuſæ*, quarum minor *Ophiuſa*, a Serpentum frequentia; major *Ebuſus* dicta, nunc *Yvica*: & duæ *Baleardes*, ſive *Gymneſiæ*, a jaculorum fundarumque ſtudio nominatæ; hodie *Majorca*, *&* *Minorca*. De Gadibus in Bætica dictum fuit.

CAPUT II.

DE GALLIA ANTIQUA TRANSALPINA.

GALLIA antiqua a Pyrenæis montibus ad Rhenum uſque patuit, quo a Germania diviſa fuit, quemadmodum montibus illis ab Hiſpania, & Alpibus ab Italia. Reliquos terminos Oceanus, & Mediterraneum mare conſtituunt. Fluvius *Garumna*, *&* *Ligeris*, Loire, Oceano Aquitanico, ſive Occidentali: *Sequana*, *Seine* Britannico; *Rhenus*, *&* *Moſa*, *Meuſe*, *&* *Scaldis*, *Eſcaus*, Germanico infunduntur: Mediterraneo mari *Rhodanus*, *Rhone*, cui miſcetur *Arar*, nunc *Saone*, & *Iſara*, & propius Alpes *Druentia*: Sequanæ *Matrona*, *Marne*, *&* *Axona*: Rheno *Moſella*: Garumnæ in ipſo demum oſtio *Duranius*. Altiores montes, ſeu juga ſunt *Gebenna* inter Narbonenſem, & Lugdunenſem: *Jura* ad Helvetiam, *Vogeſus* inter Sequanos, & Triboccos. Hæc de Galliæ tranſalpinæ terminis, ſive ulterioris. Nam Romani univerſam Galliam in *ciſalpinam*, ſive citeriorem, quæ & *Togata* dicta fuit, & pars Italiæ eſt; ac *tranſalpinam*, ſive ulteriorem, diviſerunt, quæ quadripartita fuit, *Narbonenſis* ad mare Mediterraneum; *Aquitanica* ad Garumnam, & Oceanum: *Lugdunenſis*, ſive *Celtica* ad Rhodanum, & ſupra Ligerim latiſſime patens: & tandem *Belgica*, a Matrona, & Sequana ad Rhenum uſque, Germaniæ terminum, prolata. Ex his Narbonenſis *Braccata* quoque dicta fuit, & Cæſaris ævo *Provincia Romana*: reliquæ partes barbaræ, *Comata* Gallia.

NARBONENSIS a Varo amne, communi Italiæ termino, ad Pirenæos montes inter mare, & Gebennam montem ad lacum Lemanum patebat. prima trans Alpes Romanorum provincia, quod ſolum ejus Cæſaris temporibus nomen fuit, Narbonenſis appellatione ab Auguſto demum adjecta. Rhodanus bipartito ſecat. Trans fluvium ad Gallicum ſinum, Pyrenæos proſpectantem, *Ruſcino* in Hiſpaniæ finibus, *Narbo Martius* antiqua coloni a, unde nomen provinciæ: *Nemauſus*, nunc *Niſmes* amphitheatro nobilis: *Agatha* ad mare. Cis fluvium, *Arelatum*, ripæ impoſitum, *Arles* hodie, ſequenti ævo ſuis quoque conciliis illuſtratum: & *Aquæ Sextiæ*, *Aix* a Sextio Calvino, victore gentis (*Salyes* erant) appellationem nactæ, *Maſſilia*, Phocæenſium, Joniæ civitatis, colonia inclyta: *Telo Martius*, nunc *Toulon*: *Forum Julii*; hodie *Frejus*: *&* *Antipolis*, *Antibe*, in Italiæ confinio. Et hæc inter Druentiam, ac mare: ſupra quem amnem in Rhodani ripa, aut propius ab illa, ſunt *Avenio Avignon*; *Arauſio*, *Orange*, *Valentia*: & ſupra Iſaram in eadem ripa, *Vienna*, ALLOBROGUM civitas, quorum & *Geneva* ad Lacum Lemanum fuit metropolis. Infra Allobroges, *Vaſio*, *Vaiſon*, & Arauſioni vicinum *Carpentoracte*.

AQUITANIA Julii Cæſaris temporibus Pyrenæis, & Garumna concluſa fuit. Auguſtus ad Ligerim prolatavit. Ad Garumnam urbs *Burdegala*, poſteriore ævo clarior facta: inter hunc fluvium, & Aturum *Aquæ Tarbellæ*; & montana verſus *Eluſa*: populi *Auſcii*, *Bituriges*, *Vaſates*, *Toloſates*, & alii. Inter Garumnam, & Ligerim *Santones*, *Cadurci*, *Petrocorii*, *Pictones* &c. Ad Orientem *Lemovices* cum oppido *Lemovico*; & bellicoſiſſimi *Arverni*, quorum munitiſſimam urbem *Gergoviam* Julius Cæſar delevit; eo fortaſſe loco ſitam, ubi hodie *Clermont* eſt: item cognomine genti oppidum *Arvernæ*, vel Arvernum apud Plinium. Supra hos alii *Bituriges* erant, *Cubi* cognomento, quorum *Avoricum* fuit, itidem a Cæſare expugnatum: ad Duronium amnem, *Uxellodunum* in Cadurcis.

LUGDUNENSIS Gallia, ſive CELTICA, inter Rhodanum, Matronam, Sequanam, & Ligerim ad Oceanum uſque extenſa, in cujus ultimo receſſu, ubi nunc provincia *Bretainge* eſt, *Nannetes* populi erant, & *Veneti*, & *Armorici*. Poſt hos *Turones*, & *Carnutes*, ubi *Genabum*, *Orleans*, a Cæſare everſum: *Senones*, quorum *Agendicum* fuit, nunc *Sens* appellatum; & *Vellaunodunum*: & in eodem tractu *Tricaſſes*, atque Lingones; ſupra hos ad Matronæ, & Sequanæ confluentem *Pariſii*, ubi *Lutetia*, *&* *Metioſedum*: inferius *Mandubii*, quorum *Aleſia* erat, ſive *Alexia*: & *Ædui*, primi ex Gallis Romanorum ſocii, quorum ditionis *Bibracte*, ſive *Auguſtodunum* fuit; ad Ararim *Cabilonum*, ac *Matiſco*; & ipſa metropolis *Lugdunum*, *Lyans*, licet Seguſianis eam alii vindicent.

BELGICA Gallia populorum multitudine explicatu difficillima eſt. Præcipuos cum oppidis ſuis enumeraſſe ſufficiat. In *Helvetiis* fuit *Aventicum*: in *Rauracis*, *Auguſta Rauracorum*, nunc vicus ſupra Baſileam: in *Veragris*, ſive Vallenſibus, *Octodurum* vicus, fortaſſe *Martinach*; in Sequanis, inter Rhodanum, Juram montem, & Rhenum late habitantibus, *Veſontio* Beſançon: in *Mediomatricis*, *Divodurum* *Metz*: in *Triboccis*, *Argentoratum*: in *Nemetibus*, *Noviomagus*, *Speyr*: in *Vangionibus* *Borbetomagus*, *VVorms*, *&* *Maguntiacum*, *Mentz*: in *Treviris* *Auguſta Trevirorum*, *Trier*: in *Eburenibus* cis Moſam (quorum major pars inter Moſam, & Rhenum erat) *Aduataca* caſtellum, poſt Tungri, Tongern dictum: *Menapii* ad Rheni ripas habitarunt ſine oppidis: in *Ubiis* ex Germanica ripa in Galliam traductis, *Colonia Agrippina*, *Collen*, *&* *Bonna*, *&* *Noveſium*, *Neuſs*, *&* *Gelduba*; ſuperius *Tolpiacum*, nunc *Zuſcb*: in *Sicambris*, itidem ex ulteriore ripa Rheni in citeriorem tranſpoſitis, *Vetera Caſtra*, ſcilicet munimenti nomen.

Et *Nerviis* ſua oppida fuerunt, uti ex Cæſaris commentario conſtat; quorum nomina ignorantur. Hannoniæ majorem partem, & aliquam comitatus Namurcenſis videntur poſſediſſe. In *Veromanduis*, *Vermondois*, *Auguſta Veromanduorum*, cujus veſtigia alii in fano S. Quintini; alii prope illud quærunt; in *Am-*

bianis

bianis ad *Samaram*, nunc *La Somme*, fluvium *Samarobriva*, urbs & Cæſari, & Ciceroni memorata, *Amiens* Picardiæ: in *Bellovacis*, inter Ambianos, Veromanduos. & Pariſios, *Bratuſpantium*, ſive *Cæſaromagus*: in *Rhemis* urbs *Durocortorum*, hodie *Reims*, & *Bibrax* in *Sveſſionibus*, Cæſaris *Noviodonum*, poſt *Auguſta Sveſſionum* hodie Soiſſons: in *Velocaſſibus*, ſive *Bellocaſſiis* ad Sequanam, Rotomagus, nunc *Roan*: in *Atrebatibus*, *Nemetacum* fortaſſe *Arras*: in *Morinis* ad fretum Britannicum, *Portus Iccius*, ex quo Cæſar in Britanniam trajecit, qui idemne ſit ac *Geſoriacum*, quod pariter in Morinis laudatur, an diverſus ab illo, diſputamus alibi. *Batavorum*, qui Inſulam Rheni incoluerunt, unum oppidum Tacitus memorat, nomen non adfert: vicos autem majores narrat, *Batavodurum*, & *Arenacum*, & alios. *Taxandri* Selandiam, & alias Oceani Inſulas multis videntur habitaſſe; quos alii in continentem reductos malunt. *Caninefates* in Batavorum Inſula, vel ſupra eam collocant.

Rheni Gallica ripa propter colonos ex Germania tranſductos Romanis *Germania Ciſrhenana* dicta fuit, in duas provincias diviſa, *Germaniam ſuperiorem*, quæ & *prima* erat; ubi Argentoratus, Nemetes, Vangiones, & Maguntiacum: & *Inferiorem*, ſive *ſecundam*, ubi Colonia Agrippina, Bonna, Tungri, & aliæ urbes ſunt. Ex his manifeſtum eſt, longe ampliores terminos fuiſſe antiquæ Belgicæ, quam hodie XVII. provinciarum ſunt, quæ id nominis ſolæ uſurpant.

CAPUT III.

DE INSULIS BRITANNICIS.

MAXIMA Britannicarum Inſularum, quæ ſub *Magnæ Britanniæ* nomine, nunc Angliæ, & Scotiæ regna continet, olim *Albion* dicta, jam tunc Cæſaris ævo BRITANNIAE nomine clareſcebat, quamquam non tota illis temporibus cognita fuit, ſed pars tantummodo auſtralis. Strabo ſylvas Britannis pro urbibus fuiſſe tradidit; at vero oppida ſua inde uſque a Claudii principatu habuiſſe, ex Auguſta hiſtoria ſatis notum eſt, quamquam pauciorum nomina litterarum monumentis expreſſa ſunt.

Britannia ab Romanis poſſeſſa, diviſa fuit in SUPERIOREM, quæ in occaſum Solis vergebat, ubi fere nunc eſt Vuallia; & INFERIOREM, quæ in ortum magis proſpiciebat.

Britanniæ varii multique populi erant, eorumque notiores, ad fretum *Cantii*, quos Cæſar ſubegit, quorum & regio *Cantium* dicta, promontorium ejuſdem nominis. Deinde in eodem litore magis occidentales *Durotriges*, & *Damnonii*: ultra hos *Regni*, *Atrebatii*, & *Trinobantes*: & ad litus orientale, inter Tameſin, ac Garienum fluvios: *Iceni*, & *Cenimagni*, ac reductiores *Caſſi*: contra in latere occidentali, Hiberniam verſus, *Silures*, *Ordovices*, *Genunii*, & fortaſſe etiam *Cangi*, quorum ſedes incertior eſt. In Septentrionem ſpectabant, *Brigantes*, *Pariſii*, *Coritani*.

Oppida Britanniæ nobiliora fuere *Durovernum*, vel *Davernum*, in Cantio, hodie *Canterbury*: *Dubris* ad fretum, nunc *Dover*: *Londinum* ad Tameſin in negotiatorum copia, & commeatuum, quod Tacitus tradit, maximè celebre: *Durobriva* in Trinobantibus: *Verulamium* municipium, prope fanum S. Albani, nunc exciſum: *Mediolanum* in Ordovicibus: *Camulodunum* in Brigantibus, & *Eboracum*, hodie *York*, ubi Severus imperator mortuus eſt.

Barbaræ Britanniæ, quæ & ulterior, & Septentrionalis eſt *Caledonia* pars ampliſſima fuit, & *Caledonii* populus fama nominis, quam aliæ gentes, præſtantior, quibus etiam vicinum ab occaſu Solis mare Oceani *Caledonii*, ſive *Deucaledonii* nomen debet. Ab his proximi *Picti* erant, & in meridiem magis vergentes *Horeſti*, *ac Atacotti*, qui duo populi intra murum Severi continebantur. Nam cum ſeptentrionales hujus Inſulæ populi, ceteris barbariores, Romanæ ditionis partes infeſtarent; Hadrianus Imperator ab *Itunæ* fluvii (nunc Eden) æſtuario ad oppoſitum Germanici maris litus, murum ſeu vallum potius, in tranſverſum poſuit, ut incurſiones barbarorum inhiberet, quem Antoninus Pius imitatus eſt, & longius progreſſus Severus perſimilem molem a Glota, æſtuario Hibernici maris, ad *Bodotriæ* ſinum, ubi anguſtiſſima Inſula eſt, perduxit.

Flumina majora Britanniæ, & quidem auſtralis, *Tameſis*; ſeptentrionalis *Tauus*, ſive *Taus*, cum lacu, & æſtuario cognomine. *Portus Trutulenſis*, & *Rutupiæ* Taciti ad promontorium Cantium fuerunt.

Ceteræ Inſulæ ſunt, HIBERNIA, Britanniæ ad occaſum Solis oppoſita, quæ & *Ivernia*, *Juverna*, *ac Jerne* appellatur. Oppida ejus *Eblana Dublin*, & *Menapia*, quæ fortaſſe *VVexford* eſt. Fluvius *Senus*, aliis *Scena*; hoc tempore *Schenanus*, hujus Inſulæ maximus.

VECTIS, vel VECTA, ad meridiem Britanniæ objecta, hodie Inſula *VViebt*.

SILURUM Inſulæ in latere occidentali, nunc *Sorlings*, quas veterum *Caſſiterides* quidam credunt, quamvis Ptolemæus, Strabo, & alii veteres, Hiſpaniæ ab Solis occaſu eaſdem oppoſuerint: MONA (Inſula *Man*, inter Britanniam, & Hiberniam; ſed hujus nominis alia Cæſari eſt, quæ & Monadeda; alia Tacito: EBUDAE ſive HEBRIDES, in mari Caledonio, plures numero; nec pauciores ORCADES ad extremum Inſulæ Septentrionem. THULEN etiam ultimam cum Britannicis innumerarunt, quam recentiores plerique Iſlandiam interpretantur, longius a Britannia remotam, ſed verius forſan una ex Hitlandicis fuit.

CAPUT IV.

DE GERMANIA ANTIQUA.

ANTIQUA GERMANIA ab occaſu Solis Rheno fluvio; ab oriente Viſtula; a meridie Danubio, & æquali tractu; a Septentrionibus Oceano terminata fuit. Fluvii ergo majores ſunt, & partim terminales, Rhenus uſque ad divortium, a quo Vahalis (*VVaele*) in Gallis relinquitur, reliqui alvei ad Germanos pertinent: *Amiſia Emſe*; *Viſurgis*, *VVeſe*; *Albis*, *Danubius*, Viſtula, *VVeixel*, alios hi excipiunt, ut *Nicrum*, *Neckar*, *Mænum*, & *Lanum* Rhenus: *Fuldam*, *Vol* & cæteros Viſurgis: *Solam*, & *Muldam* Albis, *Lechum* Danubius &c.

Ab Rheno proximi erant *Friſi*, ſive Friſones, aut *Friſæones*, quibus *Marſaci*, vel Marſatii admixti erant, præſertim Friſis Minoribus, qui quomodo a Majoribus diſtinguantur, non liquidiſſimum eſt. Sunt hic *Flevus* Lacus, & *Foſſa Druſiana*, qua Rhenus Iſalæ conjungitur; de quo ſunt, qui *Nabiliam* Taciti interpretantur: Oppidum quoque *Navalia*, ſive *Nabalia*, in his oris iidem locant.

Inter Amiſiam, & Viſurgim ſub Oceano erant *Chauci*, ſive *Cauchi* Minores, & ad oſtium Amiſiæ cognomine Oppidum *Amiſia*, quod creditur *Emden* eſſe. Inde meridiem verſus *Angrivarii*, *Chamavi*, *Uſipetes*, & *Tenecheri*, ex aliis ſedibus huc compulſi. Nam antea Rheno propriores erant, ſicut & *Jubones*: Sicambri verò late habitarunt ab Rheno ad fontes ferme Lupiæ. Oppida in hoc tractu, *Lupia*, & *Aliſo*, & *Teutoburgum*, quod ſaltui *Teutoburgico*, quo Quintilius Varus cum legionibus deletus eſt, nomen dedit. *Segedunum* Ptolomæi ad amnem *Sigen*, & cognomine Oppidum, videtur referri poſſe. Tencteris *Bructeri* conjunguntur, ſed vagabundi, & inſtabilis Sedis.

CATTORUM gens a Lani Rhenique confluentibus ad Mænum uſque, & intus ad Viſurgim, aut ultra hunc amnem, latè longeque habitavit. Ex his Rheno propinquiores *Mattiaci*, nomen a Matio oppido, vel caſtello, quod *Marburg* eſſe creditur, proculdubio nacti. Ad hos etiam mons *Taunus*, Magontiaco oppoſitus; & *Fontes* Mattiaci, nunc *VVisbaden* pertinuerunt: Caſtellum ad Fuldam, antequam Viſurgi miſcetur, nunc *Caſſel*, videtur etiam ex Druſi operibus reliquum eſſe.

Inter Nicrum, Rhenum, ac Danubium *Marcomanni*, *Seduſii*, *ac Harudes* antiquitus coluerunt, quibus in Bojohemum diſcedentibus, *Alamani* ſucceſſerunt, ex medii ævi, quam antiqua hiſtoria, notiores, cum fines ſuos, validiores in dies facti, longius protulerunt, His vicini *Hermunduri* fuerunt, inter Mænum, Salem, Danubium, & Albim, quo tractu quidquid Miſniæcis Albim eſt, Voigtlandia, & Marchionatus Bereutenſis cum parte Franconiæ, contineri Cluverio videntur: *Nariſcorum* autem, Palatinatus ſuperior, *Bojohemum*. Marcomannorum poſterior Sedes, quod nomen retinet, notiſſimum eſt. *Marobudum*, regia Marobudici, quibuſdam Prega eſt, caput Bojohemi. A tergo montium Bojohemicorum *Quadi*, & *Marum* uſque fluvium (vulgo *March*) habitarunt, & fugitivis Svevorum aucti, ad amnem *Cuſum*, ideſt *VVagam*, fines protulerunt. Oppida Quadrorum *Eburodunum*. *Brin* Moraviæ; & *Eburum*, *Olmutz* ex vulgari interpretatione, quam in medio relinquimus.

Inter Albim, Viſtulam, ac Danubium SVEVORUM gens ampliſſima. Bojohemo vicini *Marſingi* ad uſque Svevum amnem, hoc eſt, Viadrum ſive Oderam, Sileſiæ portio; inde *Semnones* Saxoniam ſuperiorem cum Miſnia Tranſalpina occupantes: poſt hos *Longobardi*, in Marchiæ parte, fortaſſe illa, quam antiquam dicimus *Varini* in Sede *MecKlenburgicorum*: inde ad oſtia Albis *Angli*, *Foſi*, alii in Cherſoneſo Cimbri. Inter Viſtulam, & Viadrum a meridie *Gothini*, *Oſi*, *Burii*, in partibus Sileſiæ Tranſoderanis, & Poloniæ citerioris. Unde etiam Ptolomæi *Caliſiam*, & *Carrodunum* in Polonia eruditi quærunt. Viſtulæ propiores erant *Lugii*, ſive *Logiones*. Supra hos Oceanum verſus inter Svevum, & Viſtulam *Burgundiones*, gens tum forſan parva, quæ aliis temporibus validiſſima facta, ampliores fines, etiam ſub alio cœlo quæſivit: item *Sidini*, *Carini*, in Pomerania ulteriore: ad Oceanum *Lemovii*, *Rugii*, ac prope Viſtulam *Gothones*, qui nonnullis videntur initium fuiſſe latiſſimè poſtmodum diffuſæ Gothorum gentis, de qua tamen alii aliter ſentiunt.

CAPUT V.

DE INSULIS TRANSMARINÆ GERMANIÆ.

VETERES Germaniam in extremum ſeptentrionem; ubi Suediæ nunc & Daniæ regna ſunt, extenderunt, & trans mare *Suevicum* ſive ſinum *Codanum*, qui nunc mare Balticum eſt, plures inſulas poſuere, quarum maximas dixerunt *Scandinaviam* ſive SCANDIAM, & FINNINGIAM; incompertæ magnitudinis; quas conſtat peninſulas potius eſſe, quæ nec hodie nomen ſuum penitus amiſerunt. De THULE celebratiſſima ſub finem *cap.* III. de Britannia diximus, Islandiam pleroſque interpretari, cujus mare *glaciale*, *cronium*, *pigrum*, *concretum*; & græce univerſum, quod ad ſeptentriones eſt, Hyperboreum appellatur. Minores & in meridiem vergentes inſulæ ſunt plures, præcipua *Codanonia* a ſinu Codano, in quo ſita eſt, dicta, quam vulgo credunt Selandiam, Danorum regiam inſulam eſſe. Inſulas huic adjacentes habitaſſe *Teutoni* dicuntur, qui finitimi Cimbrorum erant Cherſoneſum Jutlandiæ incolentium.

CAPUT VI.

DE GERMANIA TRANSVISTULANA AC SARMATIA:

VISTULAM quidem terminum poſuimus ab ortu Germaniæ, ſicut ab occaſu Rhenum: non autem contineri multitudo gentis ita potuit, quin utrobique fines tranſiliret. Quemadmodum ergo *Ciſrhenana Germania* Romanis Gallicus ager erat, a Germanis gentibus occupatus; ita haud parva agri Sarmatici portio itidem Germanis populis, ad orientem latiores fines quærentibus, aut vi, aut commerciis a conſuetudine ceſſit, qui communiore nomine *Baſtarnæ* vel *Baſternæ* appellati, ſub quibus *Peucini* ſive *Peucæ*, & *Carpi*, & *Borani*, aliique fuere, qui ad Dacos uſque late habitarunt. Oppida Baſtarnica apud Ptolemæum ſunt *Carrodunum*, quod *Lemberg* Cluverius interpretatur; diſtinctum ab altero Carroduno cis Viſtulam in tractu fere quo Cracovia eſt, de quo ſupra diximus: & *Clepidava*, quod eidem videtur *Caminik* Podoliæ eſſe. Nam in Podolia & UKrania ac finitimis partibus præcipua ſedes Baſtarnarum fuerunt. Sed alio ſeculo propiores Iſtro facti, Romanum imperium infeſtarunt: pars etiam tranſgreſſi amnem in Pannoniam uſque fines ſuos ac ſedem protulerunt.

Supra Baſtarnas, Viſtulam verſus *Venedi* ſive *Vinidi* erant a quibus forſan Wendonum nomen reliquum eſt: ſinus etiam oceani vicinus *Venedicus* dictus. Ex his oceanum reſpectantes Æſtii, in Boruſſiæ & Poloniæ parte, quæ trans Viſtulam ſita, uſque ad *inſulas* Electrides habitarunt, quæ ab electri ſive ſuccini proventu in illa ora copioſiſſimo, appellationem habent.

SARMATIA, Europæa Scythia, a Viſtula ad Aſiæ terminos protracta, a meridie Daciam, & Pontum Euxinum habuit; a ſeptentrione oceanum & Finningiam; partes Poloniæ trans Viſtulam, Livoniæ, & Europeæ Moſcoviæ, hiſque finitima complexa.

Fluvii ejus ſunt *Boryſthenes*, vulgo *Dniper*: *Tyra* (*Denieſter*): *Hypanis* (*Bog*) aliique: populi *Alauni*, *Agathyrſi*, *Hamaxobii*, *Geloni*, & alii minoris notæ ſub his comprehenſi, quibus ab occaſu accedunt, quos Germanicæ originis ſupra, in Germania Tranſviſtulana, recenſuimus.

Boſphorani autem Sarmatæ Europæ & Aſiæ terminis diviſi erant. Pars Aſiatica ad Caucaſum vergebat, Cimmeriis tenebris fabuloſa: Europæa inde a Tanais oſtio per oram Mæotidis paludis & Ponti Euxini extenſa, *Tauros* populos habuit cum *Cherſoneſo Taurica*, cujus urbes ſatis celebratæ *Theodoſia*, nunc *Caffa*; & *Panticapæum*, prope Boſphorum in eadem peninſula: dein *Mæotas* ſive *Mæotidas* paludes accolentes; & *Jagygas*, qui vel ipſi Mæotidæ erant, vel eorum finitimi, quos *Alauni* & *Roſolani* contingebant, ex medii ævi hiſtoria, quam antiqua notiores: Sed & alii *Jazyges* erant Dacis contermini, inter Danubium & Pathiſſum, qui Tibiſcus eſt, & ipſi Sarmatæ, ſive ex Mæoticis Jazygibus huc profecti.

CAPUT VII.

DE VINDELICIA, RHÆTIA, ET NORICO.

HIc tractus hodie Germaniæ eſt: olim extra illam erat & ultra terminum ejus Danubium in meridiem: nec a gentibus Germanicis poſſidebatur, ſed Vindelici originis Illyricæ, Rhæti Italicæ fuerunt.

VINDELICI omnem ripam Danubii tenuerunt a fontibus ad Æni confluentem, diſtincti *lacu Brigantino* ab Heluetiis. Sub Vindelicis & alii populi erant *Breuni*, *Genauni* & *Licates*, Licum (*Lechum*) amnem accolentes, qui mediam ſecat Vindeliciam. Oppida erant *Brigantium*, ad lacum cognominem, quod nomen retinet: *Cambodunum*, *Kampten*: *Auguſta Vindelicorum*, colonia *Auſpurg*: *Batava*, intellige Caſtra, Paſſau, & alia.

RHÆTIA in meridiem magis porrecta uſque Alpes illas, quas Rhæticas inde appellant; partem quoque Alpinarum gentium complexa, ubi *Tridentum*, *Pons Druſi*: populi *Griſones*, *Vennones*, & qui *Vallem Tellinam* inhabitant. Quidam Breunos etiam & Genaunos Rhetiæ accenſent, quos modo in Vindelicis numeravimus. Fluvii *Addua* & *Atheſis* & alii.

RHÆTIA itaque ab ortu habet Noricos, ab occaſu Helvetios: in meridiem adjacet Gallia Tranſpadana: ad Septentriones Vindelicia. Sed hæc de *Rhætia propria*: nam & latiores ei non raro fines dantur, ut non hanc modo, quam deſcripſimus, ſed omnem etiam Vindeliciam complectatur, quippe Vindelicium nomen ſenſim exoluit, & Rhæticum toti provinciæ impoſitum fuit, quemadmodum Tacitus coloniam, quam Auguſtam laudavimus, in Rhætis ponit, quæ Vindelicorum propria erat. Quæ cauſa eſt, ut difficulter inter Rhætos & Vindelicos veri termini inveniantur.

NORICUM ab Æno juxta Danubium ad juga *Citii* montis (quæ inter Murum & Danubium ſunt, & Vindebonam ferme contingunt) extendebatur a meridie ad *Alpes Noricas* ultra *Dravum* amnem, qui mediam ſecat mediterraneam partem, procurrens. Diviſum enim Noricum fuit in RIPENSE, quod ſeptentrionale eſt, ac Danubio ſubjacet, nunc Auſtriæ pars Archiepiſcopatus Salzburgenſis: & Mediterraneum, ſive auſtrale, ubi Carniola, Stiria, Carinthia eſt.

Oppida Norici *Biadurum*, ad confluentem Æni, nunc *Inſtad*: *Juvavia* ſive *Juvaum Sallzburg*: *Claudia* Plinii. Ad pontem, Muri ſcilicet, *Muravv*: *Virunum* ad Dravum: *Aguntum* ſub Alpibus. Ab Italia *Julio Carnico* dividitur, ſed hoc Foro Julii Italiæ potius, quam Norico, adſcribendum eſt.

CAPUT VIII.

DE PANNONIA ET ILLYRICO.

PANNONIÆ omnis tractus ſub Danubio eſt a *Cetiis jugis* ad *Aureum* uſque *Montem* Mæſiæ poſt *Taurunum* terminum. Latitudinem Danubius a ſeptentrione, & Illyrici montes a meridie deſcribunt. *Savus* & *Dravus* flumina, quam longa fere eſt, diſſecant. Non ergo Hungariæ noſtræ, niſi ex parte reſpondet, cum hæc ultra Danubium latiſſime porrigatur, quo amne, tanquam termino, Pannonia protendebatur, à quibus Hungaria hodie abſciſſa eſt.

Diviſa fuit Pannonia in *ſuperiorem* & *inferiorem* per fluvium *Arabonem*: *Rabe*. Ad quem a Cetiis jugis ſuperior pertingebat: inferior ab eodem amne ad fines Mæſiæ. Deinde quæ Savo & Dravo incluſa portio erat, *Intra amnia* Pannonia dicta fuit: & *Riparienſis* quæ ad ripas Savi erat: quibus pars quædam *Valeriæ* nomine, ſed poſteriore ævo ſub Galerio Maximiano acceſſit.

SUPERIOR Pannonia, quæ alio ſeculo *Prima* nominata fuit, Auſtriæ partem, Marchiam Vindicam & Croatiam cum finitimis complexa eſt. Urbes ſunt ad Danubium *Vindobona Wien*: *Carnuntum*, ſive *Carnus* inter Viennam ac Poſonium, ſive *Preſsburg*: *Petovio*, ad Dravum, *Petau* Stiriæ: *Siſcia* nunc pagus *Siſek* Croatiæ: & huic vicina *Segeſta* Auguſti munimentum, unde *Segeſtica* inſula Savi cognominata eſt *Nauportum*, *Ober Laubach* Carniæ: & *Emona* colonia, *Unterlaubacb*, in finibus Italiæ atque Norici. *Stridon*, S. Hieronymi patria confinium Pannoniæ & Dalmatiæ; *Sabaria*, patria S. Martini.

INFERIORIS, quæ & *ſecunda* poſtmodum dicta fuit, oppida fuerunt *Cibalis*, ad Hiuleam lacum: *Murſa* ad Dravum: utraque ex Conſtantini cum Licinio bellis nota: *Sirmium* nunc *Simach*, inter *Almum* montem & Savum *Budalia*, prope eundem fluvium, Decii Imperatoris patria: *Taurunum*, ad Danubium, hodie *Great Weiſſenburg*, in Mæſiæ confinio. Sclavoniæ & Boſniæ in hoc tractu partes ſunt.

ILLYRICUM ſive ILLYRIS ab Iſtria ad Macedoniam inter Adriaticum mare & propria montium juga, Italiæ parallela, continetur. Montes iſti variis in locis varie nominantur *Albii*, *Bebii*, *Ceraunii*, *Ardii* uſque ad tranſverſa *Scardi* juga in Macedoniæ & Mæſiæ finibus.

Diviſa fuit Illyris per *Titium* amnem in Liburiciam & Dalmatiam: illa Iſtriæ contermina ac occidentalis: hæc Macedoniæ proquinquior, adeoque orientalis.

LIBURNIÆ populi erant *Japydes* ſive *Japides*, Iſtrorum accolæ: oppida *Jadera*, nunc *Zara*: *Ænona*, *Lopſica*, *Senia*, *Tarſatica*. Auctor hæc gens fuit navium, quas liburnas appellamus.

DALMATIA a Titio amne ad *Drinum*; vel potius ad oppidum *Liſſum* protendebatur. *Scardona* Liburniæ finis, & initium Dalmatiæ: *Salona* ſive *Salona*, metropolis fuit & colonia, eademque navale, in loco fere *Spolatri*: deinde *Tragurium* ad mare: *Narona* ad Naronem fluvium, hodie *Narenta*: *Epidaurum*, nunc *Raguſa*: *Rhizinium*, nunc *Riſino*: *Delminium*, quod nomen genti dedit; ab Auguſto everſum: *Scodra*, hodie *Scutari*, olim regia Illyricum: etiam *Medeon*, urbs *Labeatium* populi, in hac ultima Dalmatia fuit. *Liſſus*, Aleſſia terminus ad Macedoniam. *Tralli*, etiam gens Illyricorum, in his partibus: & *Piruſta*, a Cæſare multati: item *Mazai*, & alii.

Inſulæ in hoc mari plures: præcipuæ *Pharia*, nunc; *Lieſina Corcyra Nigra*, quæ ad regnum Genrii pertinebat: *Iſſa* unde populi *Iſſenſes* apud Livium; *Tauris*; *Boa*, & *Abſyrtides*, & reliquæ.

CAPUT IX.

DE ITALIA ANTIQUA.

ITALIA univerſa ſupero & infero, hoc eſt, Adriatico & Tyrrheno mari, ac Alpium jugis circumſcribitur. Sub Alpibus latiſſima eſt, & ab Liguſtico mari ad Illyricum uſque extenditur. Dividebatur in Galliam Ciſalpinam, & Italiam proprie dictam: illa, Alpibus vicinior, a Gallis colonis poſſeſſa, unde nomen habuit; hæc utroque mari coarctata inferiorem partem abſolvit. Flumina ſunt, & quidem ex Alpibus ruentes, *Atheſis* (*Etſch*) *Padus* (Græcis *Eradinus*) *Po*; & hi in mare Superum exonerantur, ut & multi minores, e. g. *Rubico*, *Metaurus*, *Æſis*, *Truentus*, *Matrinus*, *Aternus*, *Aufidus*: alii in mare Inferum, ut *Varus*, *Macra*; *Arnus*, *Tiberis*, *Litis*, *Vulturnus*, *Veſeris* prope Veſuvium & ceteri: in ſinum Tarentinum *Siris & Sibaris*: ſunt & alii, qui ab his excipiuntur, v. g. *Nar & Glanis* a Tiberi, *Trebia*, *Ticinus*, *& Mincius* a Pado.

CISALPINA GALLIA.

ILLA pars Italiæ, quæ Alpibus vicina eſt, & præter Inalpina Sabaudici juris, Statum Mediolanenſem, & Venetorum regionem cum partibus quibuſdam Pontificiæ ditionis ad Adriaticum mare, continet, Romanis olim propter Incolas Gallos *Gallia Citerior*, aut Ciſalpina vocabatur, perque Padum fluvium, qui mediam interluit, in *Tranſpadanam*, quæ ad mare Adriaticum vergit; & *Ciſpadanam*, quæ eſt ad Apenninum, & Liguſticum mare verſus, dividitur.

Terminus hujus Galliæ ab Occaſu, & ad Inferum mare, eſt *Varus* fluvius, Liguriam a Narbonenſi Gallia diſtinguens; ex parte Illyrici *Arſia* fluvius parvus peninſulæ Iſtriæ: reſpectu mediæ Italiæ ad mare Adriaticum, oppidum *Sena Gallica*, vel potius *Rubico* fluvius. In Alpibus incertiores fines, nec ubique diſtinctè determinari poteſt, quæ Italiæ ſint, & quæ Norici, aut Galliæ ulterioris.

ALPES autem variis locis cognominantur variè. *Maritimæ* Liguriam contingunt, inter quas & *Cottias* erant *Taurini* populi, eorumque caput *Auguſta Taurinorum*, hodie *Turin* principalis ſedes Ducis Sabaudiæ. Cottiæ Alpes ex hiſtoria Neronis, qui Cotti regnum provinciam fecit, non ignotæ. Hic Seguſio, vel *Seguſium* oppidum, nunc *Suſa*. Inde Grajæ, & *Penninæ*, quas Hercules & Hannibal pertranſiiſſe, vulgo dicuntur. *Salaſſi* in Graiis, vel prope illas habitarunt, quorum *Auguſta* Prætoria erat, hodie *Aoſta*; & *Eporedia*: ſupra hos *Alpes* ſummæ cum monte *Adula* inter Rhodani, ac Rheni fontes: inde *Lepontiæ*, *Ræticæ*, *Tridentinæ*, *Noricæ*, *Carnicæ*, *Juliæ*, quæ & *Pannoniæ* Alpes appellantur.

Cis Padum LIGURIA eſt, ad mare, quod inde *Liguſticum* dicitur, inter *Varum*, *& Macram* amnes, illum Galliæ Narbonenſis, hunc Etruriæ terminum. In maritimo tractu a Varo proxima *Nicæa*, nunc *Nizza*, Maſſilienſium colonia: deinde, *Portus Herculis Monaci*, *Albingaunum*, circa quod *Ingauni* Ligures habitarunt: *Vada Sabatia*, & clarius facta his cunctis oppidis urbs *Genua*: poſt *Delphini*, atque *Veneris* portus. In Mediterraneis ad *Tanarum* fluvium, *Alpa Pompeja*; *Aſta* colonia, *Polentia*, *Claſtidium*, & ad *Iriam* flumen *Dertona*. Liguria autem quamquam citra Alpes erat, tamen mores Tranſalpinorum tenaciter ſervabat, & eos propter ab Romanis Galliæ *Comatæ* adnumerata fuit.

A Trebia amne ad Adriaticum mare ſub Pado flumine cultiores populi fuerunt, iique ad *Togatam* Galliam pertinentes. Ipſum Trebiam Romanorum clades Punico II. bello nobilitavit, cujus & Padi confluenti propior *Placentia* eſt, a qua ad *Parmam* foſſa *Scauri* ducebat *Æmilia* dicta: media inter utramque, ſupra foſſam *Fidentia*: ultra Niciam flumen, *Tannetum* vicus Livio, Plinio oppidum: & Pado propinquum *Brixellum*: inter utrumque *Macri Campi*. Poſt *Mutina*, bello Mutinenſi contra Antonium geſto clara: & *Labinius* amnis parvus. in cujus Inſula Antonius, Lepidus, & Octavianus triumviratum inierunt: & aliquot millibus inde paſſuum orientem verſus, *Bononia* quam *Rhenus* alluit: ac *Claterna*; *& Forum Cornelii* ad *Vatrenum* fluvium, poſt quem *Faventia* erat, nunc *Faenza*: & propius dexteriora Padi oſtia *Forum Livii*, nunc *Forli*; ac *Ravenna* colonia munita, & portu in Adriatico mari inſtructa. Rubico amnis, verus hujus Galliæ terminus, non longe hinc, ortum Solis verſus, abeſt. Inde Umbria incipit, cujus maritima oppida uſque ad Senam Gallicam propter Gallos incolas plerumque Galliæ Togatæ adnumerantur. Sed de iis in Umbria.

Populi Ciſpadanæ nobiliores *Anamani*, *Lingones*, *Boji*, atque Adriam verſus *Senones*: propiores Apennino *Caſates*

GALLIA TRANSPADANA.

CIrcumpadana oppida, ſi ab Alpibus ſecundo flumine provehimur, ſunt *Vercellæ*, longius quidem ab amne ſub Alpibus remotæ *Lybicorum* caput, in Inſubrium confinio. Inde *Raudii campi*, C. Marii contra Cimbros victoria celebrati; poſt hos *Ticinus* Eridanos miſcetur, qui cum oppido, cui etiam *Ticinum* nomen, perinſignis eſt propter Hannibalis victoriam: longius progreſſis *Cremona* colonia, item *Hoſtilla* vicus; *Forum Allieni*, nunc *Ferrara*, occurrunt, & ad extimum Padi oſtium *Spina*, unde *Spino* cognomen eſt illi brachio fluminis.

INSUBRIÆ, remotioris a Padi ripa, caput fuit *Mediolanum*, *Milan*, vetus municipium: poſt id *Laus Pompeja*, itidem municipium, nunc *Lodi Vecchia*. Supra Inſubres in ſeptentrionem coluerunt *Orobii*, quorum *Bergomum* erat; & *Comum*, ſive *Novum Comum*, lacum *Larium*, Plinii junioris patria. Inde ad ortum ſolis *Cenomani* populi, in iiſque *Brixia*, nunc *Breſcia* Bedriacum, vicus, ad quem victus eſt Otho: *Cremona*, quam diximus, ripæ Padi impoſitam: *Mantua*, Virgilii natale ſolum, in proximo vico nati, cui *Andes* nomen: *Verona* ad Atheſin, ſub lacu *Benaco*, in cujus peninſula *Sirmione* vel natus fuit, vel prædium habuit Catullus Veronenſis. Lacum *Mincius* fluvius perlatitur.

VENETIA maritimus tractus eſt juxta Adriaticum mare, ab extimo Padi oſtio, Ravennæ propinquo, ad Comos uſque & Iſtrorum peninſulam. *Veneti*, antiquus populus vel ex Gallis Venetis; vel Eenetis Aſiaticis huc profecti. Oppida, quæ coluerunt *Spina* Ciſpadanæ proxima, de qua ſupra diximus: *Atria*, vel *Hadria*, ad fluvii cognominis oſtium: *Patavium*, *Padua*, Livii hiſtorici patria: *Ateſte*, *& Vicentia*, mediterraneæ coloniæ; *Altinum*, *& Tarviſium* municipia: *Concordia*, & *Opitergium* coloniæ, fluvius *Liquentia*.

CARNI proximi, in quibus *Aquileja*, olim ampla civitas *Forum Julii*, colonia, unde toti regioni Carnorum FORI JULII nomen impoſitum fuit: *Vedinum*, *Vedine*; *Noreja*, & in Rhetorum confinio *Feltriæ*: in Norici finibus, *Julium Carnicum*, quod ſupra memoravimus. Extremum ad Iſtriam oppidum *Tergeſte*, inter quod & Aquilejam, ad ſinum Tergeſtinum, *Timarus* eſt, fontis, amnis, lacus, ac portus nomen.

ISTRIÆ, ſive HISTRIÆ peninſulæ oppida fuerunt *Ægida*, poſt *Juſtinopolis* dicta: *Pola*, antiquum oppidum: at *Neſactum*, Ptolomæo ultimum Italiæ, & fluvius *Arſia*, Italiæ & Illyrici terminus, Populi dicuntur *Iſtri*.

ITALIA PROPRIA.

PRopriam Italiam a Gallia Ciſalpina diſtinguimus: poſſumus etiam a Magna Græcia, ut infra oſtendimus. Prima hujus ab occaſu ortum progredienti eſt ETRURIA ſive TUSCIA, amnibus Macra, & Tiberi, Apennini jugis contenta.

Inter Macram & Arnum hæc ſunt: *Luna* vetus oppidum, ad ripam Macræ ſiniſtram, haud procul a mari: inde *Portus Lunæ*, & promontorium ejuſdem nominis. In Mediterraneo colonia Luca, ad *Auſenem* amnem, ad cujus & *Arni* confluentes veteres (hodie enim uterque proprio alveo ad mare fertur) *Piſæ* ſunt, itidem colonia: *portus* autem *Piſanorum*, ad Arni oſtium. Ad radices Apennini *Piſtorium*: & intervallo orientem verſus *Fæſulæ*, colonia Catilinæ caſtris nota: his vicina ad Arnum poſita urbs *Florentia*. Ab Arno ad Volſinium lacum in maritimis fuere *Vada Volaterrana* ad Cæcinæ oſtium: ſed colonia *Volaterræ* inde longius reducta in Septentrionem: *Populonium* promontorium, & oppidum. Poſt *Umbro* fluvius, *Caletranus Ager*, & coloniæ, *Ruſellæ Saturnia*, ac *Graviſcæ Forum Aurelii*; urbs *Tarquinii*: ad mare *Coſa*, etiam colonia: & Livii *portus Lauretanus*. Poſt *Marta* fluvius ex *Volſinio* lacu emanans: ſupra lacum *Volſinium* oppidum: ad *Glanim* amnem ſive paludem, ex qua amnis profluit, *Cluſium*, Porſenæ regia: inde in occaſum *Sena* colonia: & trans Glanim Septentrionem verſus, *Aretium*. Inter *Aretinum Stagnum*, & Traſimenum lacum, Hannibalis victoria nobilem, *Cortona* colonia: inter Traſimenum & Tiberim *Peruſia*, Peruſino Lucii Antonii bello clara: ſuperius ad Tiberim, fontibus ſuis propinquum, *Tuſcia* viila Pliniana, auras ex Apennino leniter fractas accipiens.

Reliqua pars Etruriæ, a Volſinio lacu ad Latium, ſive Romam, in maritimis habet ab occaſu ſolis *Centumcellas* (nunc *Civita Vecchia*) hiſque conjunctum *Portum Trajanum*: deinde *Pirgi* ſunt, navale Cæretanorum: *Cære* autem oppidum, Mezentii regia, a mari aliquantum recedit, etiam colonia *Alſium*, *& Artena* inter lacum Sabatium & mare. Inter *Laronem*, qui erumpit ex hoc lacu, ac Tiberim *Veji* erant, Vejente bello celebratiſſima civitas, & ad mare *Fregena* colonia. In Mediterranea parte poſt leve Volſinium in ortum *Ciminius ſaltus* fuit, oppidum *Capena*: colonia Sutrium & *Nepete*, cujus incolæ, Nepeſini dicti. Supra hoc oppidum prope Tiberim *Falerii*, civitas *Faliſcorum*: & *Feſcennia*, unde Feſcenninis carminibus nomen fuit: mons *Soracte* autem ab ortu oppoſitus: unde in meridiem *Saxa rubra*, ac *Cremera* amnis funeſta cladis Fabiorum monumenta.

UMBRIA Etruriæ ab ortu ſolſtitiali opponitur, comprehenſa ſuper mari, & Rubicone, Tiberi, Nare, Æſi fluminibus, per Apenninum in duas partes diviſa. Trans Apenninum in maritimis *Ariminum* cum fluvio cognomine: *Piſaurum*, nunc *Peſaro*, cum fluvio Iſauro, vel *Piſauro*: *Fanum Fortunæ*, quod & ſimplici-

plicíter Fanum, item colonis jam acceptis, *Colonia Faneſtris* dictum fuit, ſicut & incolæ Faneſtres. Proximus *Metaurus* fluvius; ad quem Aſdrubal, Hannibalis frater, cum exercitu cæſus eſt. *Sena Gallica* vel *Senogalia*, quæ & ſimpliciter *Sena* dicitur, a Senonibus Gallis condita, ad flumen *Miſum*, a quo in occidentem aliquot millibus paſſuum amnis oppido cognominis *Sena*, remotus. Tandem *Æſis* flumen eſt, terminus Umbriæ, & Piceni, cui ejuſdem nominis colonia oppoſita fuit.

Mediterraneæ Umbriæ trans Apenninum ſunt *Sarſina* ſive *Saſſina* ad Sopim flumen, Plauti patria: *Urbinum* inter Piſaurum & Metaurum amnes, *Hortenſe* cognominatum, ut ab ignobiliore *Urbino*, quod propius Metauro adjacet, & *Metaurenſe* dicitur, diſtinguatur. Sic & *Tifernum Metaurenſe* diſcriminis cauſa notatum fuit. *Seſtinum*, & *Petra Pertuſa*, Veſpaſiani opus ad Flaminiam viam pertinens: *Suaſa* municipium, municipes *Suaſani*.

Cis Apenninum *Tifernum* erat *Tiberinum*, hoc cognomine a Metaurenſi diſtinctum municipium: *Iguvium* ſive *Egubium* ad radices Apennini: *Aliſium* municipium *Hiſpella* colonia cum mirabili fonte *Clitumno*: ad *Tiniam* amnem *Fulginium*; & *Mevania*, patria Propertii, quibus in meridiem ſubjacent Tiberim verſus *Tuder* ſive *Tudertum* (nunc *Todi*) cujus *Tudertes* incolæ: & *Ameria*, municipium: ad Narem *Interamna*, hoc amne circumflua: & in altera ripa *Narnia* colonia, abrupto monti impoſita: Inter hanc & Mevaniam *Carſulæ*, & extrema in meridiem *Ocriculi* ſive *Ocriculum*, in confinio Sabinorum. At in ortum ſolſtitialem vergunt *Nuceria*, Camellaria cognomento, nunc *Nocera*: *Forum Flaminii*; & *Spoletium* colonia: ac in limite Piceni *Camerinum* ſive *Camers* colonia, populus vel incolæ *Camertes*.

SABINI Umbris in meridiem ſubjacebant, Tiberi, Nare, & Aniene terminati. Extrema in Septentrionem fuit *Nurſia*: inde *Reate* præfectura, & lacus *Velinus*: in ortum magis vergebat *Amiternum*, Salluſtii patria: meridianas partes implebant *Cures* alumno Numa celebres: *Trebula* municipium antiquis temporibus *Mutuſca* dicta: *Regilli* ſive *Regillum* incertæ poſitionis; *Numentum*, *Antemnæ*, *Fidenæ*, *Cruſtumerium*, *Cænina*, cum *Allia*, & *Aniene* fluviis, quorum ille Romanorum clade a Senonibus accepta; hic (*Anio*) Hannibalis caſtris, urbi imminentibus, admodum famoſus eſt. *Mons Sacer*, trans Anienem primus, in quem ſeceſſiones plebis factæ. Alii inferiores has partes accenſent Latio, prout vel Sabini, vel Romani antiquis temporibus potentiores fuerunt. In ortum Sabinis & Umbris PICENTES finitimi. PICENUM regio illorum dicta & *Ager Picenus*, iſque a tergo mare habet ab Æſi flumine ad Matrinum. Maritimæ civitates fuerunt *Ancona* & *Potentia* coloniæ, *Firmum* & *Truentum* caſtella: hoc amnis ejuſdem nominis præterfluit: at *Vomani* fluvii, ac ulterius *Matrini* oſtia in ultimo Piceno ſunt. In Mediterraneis è regione Anconæ, & *Cumerii* promontorii, *Auximum* colonia: *Tollentinum* municipium: *Aſculum* in primis contra Romanos munimentis Italico bello, poſt id colonia: *Cingulum* civili bello exædificatum. *Interamna* alia, ab Umbrorum oppido diverſa: *Hadria* vel *Adria* colonia monti impoſita inter Vomanum Matrinumque amnes.

VESTINI his proximi ſunt a Matrino flumine in meridiem ad *Aternum* obſcuris oppidis habitantes: ultra Aternum MARUCINI, quorum *Teate* oppidum erat, a quo *Teatinorum* nomen eſt. PELIGNI hos contigebant, *Sulmonem* colentes, Ovidii patriam & *Corfinium*, cui *Italicæ* nomen acceſſit Sociali bello, quod Italici populi hanc urbem caput legerant, ut idem ipſis eſſet, quod antea univerſæ Italiæ Roma. His MARSI ad occaſum contermini, a Peligenis Apennini jugo; a Veſtinis Aterno fluvio ſeparati. Caput gentis *Marrubium*; præter hoc *Alba Fucentis* cognomine, munita colonia, quo Perſes & Bituitus reges in cuſtodiam ducti ſunt. Id cognomen a lacu *Fucino* habet, qui inter hoc oppidum, & Marrubium eſt. His ÆQUI ad occaſum hibernum obvertuntur, quorum *Algidum* erat ſub monte *Algido* cum Tuſculanis montibus connexo: & *Corbio* oppidum Algido vicinum: item *Cliternum*; & *Vitellia* colonia; ac *Carſeoli* ad Anienem. *Sublaqueum* oppidum, a quo nomen fuit Neronis Villæ Sublacenſi. Habitarunt etiam pars ultra Anienem in Latii finibus, unde paſſim videas Æquos quoque cum Latii antiqui populis numerari, ſicut de Algido diximus in Agro Tuſculano fuiſſe. Dicuntur etiam ÆQUICOLI Græcis 'Αικαο.

LATIUM inter Tiberim, & Lirim, qui Campaniam præterfluit, extenditur. Latitudo ab Aniene, & æquali tractu a mare Inferum eſt. Dividitur Latium in ANTIQUUM, quod a Tiberi ad *Circæum* promontorium eſt: & NOVUM, quod præter Latinorum populos, alias quoque gentes complectebatur ad *Lirim* uſque amnem.

LATII ANTIQUI caput ROMA fuit, compendium terrarum orbis, cis Tiberim pleraque: pars etiam tranſtiberina *Janiculum* Etruriam ſpectans. In maritimis erant *Portus Romanus* ſive *Portus Auguſti* ad Etruſcum oſtium Tibridis, iſque perfluus: *Oſtia*, prima colonia, ad alterum ſive Latium oſtium. *Laurentum*, oppidum, cum ſilva lauro conſita: *Lavinium* Æneæ opus: *Ardea*, Rutilorum caput: *Numicus* amnis: *Caſtrum Inui*, & *Antium*, hodie *Nettuno*, Volſcorum navale, unde navium roſtra in forum Romanum deducta, ſuggeſtui nomen dederunt: *Aſtura*, cum fluvio cognomine, *Setia* colonia, *Pomptinæ Paludes*, quibus ſubjacet *Circejum* oppidum, & promontorium. In Mediterraneis *Bovillæ*, & *Aricia* ad viam Appiam: & *Tres Tabernæ*, ad *Forum Appii* ad eandem viam: ad ſiniſtram viæ proxima *Alba longa*, metropolis ante Romam conditam; cum lacu & monte Albano: *Velitræ* colonia, ad radices montis: *Ulubræ*, præfectura: ulterius *Cora*, & ad dextram Appiæ *Carioli*, Satricum, Lanuvium municipium, nunc *Civita* della *Vigna*: *Sveſſa Pometia*, *Norba*, & amnis *Ufens*, qui *Amaſeno* miſcetur. Supra Romam, *Collatia*, *Tuſculum*, nunc *Fraſcati*, cum amæniſſimis Villis Ciceronis, Luculli, & aliorum. *Gabii* in via Præneſtina, *Præneſte* natura munitum, nunc *Paleſtrina*. *Labicum* ſive *Lavicum*. *Tibur*, hodie *Tivoli* amænitate, quam *Anio* fluvius, nunc *Tiverone* cataractis facit, imprimis commendatum. Incerti ſitus ſunt antiquiſſimis temporibus deleta *Politorium*, *Eicana*, *Tellene*, & Volſcorum *Artena*.

NOVI LATII fuerunt ad mare *Tarracina* ſive *Anxur*: *Amuclæ*, ſilentio olim perditæ: *Cajeta* portus Formiæ cum prædiis Formianis: *Minturnæ* ad Lirim amnem, qui Campaniæ terminus vulgo habetur. Medio a mari loco *Privernum*, & inter Formias ac Tarracinam, in *Cæcubo* agro. *Fundi* Auruncorum oppidum, cum lacu *Fundano*: remotior a mari *Anagnia* Hernicorum caput, *Aletrium*, *Ferentinum*, *Verulæ*, *Signia*, *Fregellæ*, *Fruſino*, *Fabrateria*, coloniæ: & quæ ultra Lirim ad Latium Novum pertinebant, *Arpinum*, Ciceronis, & Marii natalibus præclarum municipium: *Atina*, *Caſinum*, *Aquinum*, *Interamna*, *Lirinas*, cognomine, & mari proxima *Sinveſſa* colonia, ante *Sinope* dicta.

Populi in Latio fuere *Latini*, *Hernici*, *Rutili*, *Volſci*, *Auſones* ſive *Aurunci*, quamquam Auſones ultra hos terminos per omnem inferiorem Italiam, inde *Auſoniam* dictam, maritimas partes antiquitus tenuere. Volſci tamen inter Latii populos imprimis potentes, oppida quamplurima poſſederunt, ut Antium, Aſturam, Circæum, Tarracinam, Velitras, Coram, Norbam, Signiam, Setiam, Privernum, Sveſſam, Pometiam, Cariolos, Satricum, Forum Appii, Fruſinonem, Fregellas, Aquinum, Interamnam, Soram, & alia.

CAMPANIÆ ab Latio Novo ad Picentinos inter Sarmium, & mare porrectæ, in maritimis erat *Vulturnum* oppidum & flumen, & in hoc magnificus pons Domitiani: *Liternum* colonia, ubi Scipio Africanus mortuus eſt: *Cumæ* (unde cognomen fuit *Cumana* Sibyllæ, & prædio Ciceronis *Cumano*) portu ad ſinum Cumanum inſtructæ: *Miſenum* promontorium, oppidum & portus. *Acheruſia palus* inter Cumas & Miſenum; *Bajæ* cum thermis, Romanorum deliciis: *Aurnus*, & *Lucrinus*, & *Bajanus* lacus, idem ſinus *Bajanus*, ad eumque amæniſſimæ villæ, è quibus *Baulli*, Hortenſii villa & piſcina, cum primis celebres: *Puteoli* cum portu ac pharo; & ſinus Puteolanus, qui ipſe Cumanus eſt: mons *Gaurus*, inter quem & Puteolos Ciceronis *Academia* fuit, portu ac nemore inſtructa villa, exemplo Atticæ Academiæ appellata. *Neapolis*, antea *Parthenope* dicta, cum portu capaciſſimo: *Palepolis* in litore vicina: *Herculaneum*, & *vicus Herculis*, & *Salinæ Herculanenſes*: *Pompeii*, colonia, & Ciceronis *Pompejanum* prædium. Imminet huic litori *Veſuvius* ignivomus mons, & olim Plinio majori fatalis, & noſtra memoria non ſemel circumjacenti agro terribilis; a quo breviter recedunt *Stabiæ* oppidum, *Surrentum*, ac *Minervæ* promontorium, terminus Campaniæ & Picentinorum regionis.

In Mediterraneis Campaniæ proximus Liri *Falernus Ager*, cujus editiores partes *Mons Falernus* ſive *Maſſicus* dicuntur, generoſi vini fertilitate celebratiſſimæ. Loca non procul abſunt Hannibalis bello toties memorata, *Calicula* mons, *Stellatis* ager amnibus Vulturno & Savone incluſus: item *Calenus ager* circa *Cales* oppidum; *Capua* metropolis, *Caſilinum* colonia: *Calatia*, inter Capuam, & Beneventum. *Pons Campanus* Horatii videtur in Savone amne fuiſſe: *Tifata* mons, ad cujus radices *Caſerta* oppidum fuit; ultra has *Rufræ*; & *Teanum* ſive *Sidicinum* coloniæ: *Sveſſa Aurunca*, quæ & ſimpliciter *Sveſſa* dicitur, altera in Latio ſemper Pometiæ cognomentum præferente: *Venafrum* colonia: *Acerræ* municipium; *Sveſſula* colonia, & *Abella*: municipium *Atella*, inter Capuam & Neapolim: *Nola* colonia, ad quam Auguſtus Cæſar mortuus: *Nuceria*, colonia, ab Auguſto deducta, *Conſtantina* cognomine ad diſcrimen Camellariæ: *Veſeris*, dubium, amnis, an caſtellum ſive oppidum. Illud auctor de viris illuſtribus bis dixit, quem ſupra ſecuti ſumus, hoc cenſet Phil. Cluverius.

Campanis continuantur PICENTINI, uſque ad *Silarum* amnem; Pars avulſa Picentium, qui ad Superum mare habitabant. Oppida eorum *Salernum*, & *Picentia* fuere.

SAMNIUN Campaniæ a tergo oppoſitum: *Samnites* dicebantur populi, quibus Livius interdum ſinus laxiores dat urbibus adnumeratis, quas ipſi, Campanis, aut Volſcis per vim ereptas, poſſidebant: proprium autem Samnium inter Volſcos, Pelignos, Campanos, Apulos, Lucanos continebatur. Oppida potiora Samnitium fuerunt *Aufidena*, juxta *Sagrum* amnem: *Tifernum* oppidum & flumen: & ſupra hæc, ad *Trinium* amnem, *Treventinum* in confinio Frentanorum. Ad Apennini vero radices prope fontes Tiferni, *Bovianum* colonia: infra Aufidenam *Æſernia* colonia, nunc *Iſernia*: & magis meridiales *Alliſæ*, ac *Teleſia* prope confluentes *Vulturni*, & *Sabati* fluviorum: *Beneventum* auſpicatiore nomine ex Malevento facto, itidem colonia: & in Campano limite juxta Appiam viam *Caudium*, cum *Furculis Caudinis*, quibus Romanus exercitus interceptus, & ſub jugum miſſus fuit. Satricula, confinis Campaniæ colonia. Sunt alia incertæ poſitionis oppida, *Meles*, *Fulfulæ*, *Orbitanium*, *Cumpulteria*, *Maronea*, ab Livio laudata lib. XXIV. cap. XX, & XXVII. ineunte, ut prætermittamus, quæ ex Latio aut Campania ſuæ ditionis Samnites fecerant.

Poſt Samnium mari Supero prætendebantur FRENTANI, è *Frentone* flumine dicti; & ipſi per fluvios *Sagrum*, *Trinium*, *Tifernum* diviſi. Oppida coluerunt *Anxanum*, haud procul læva Sagri ripa, hodie *Lanzano*: *Hiſtonium* coloniam, prope oſtia amnis Trinii: *Larinum* municipium, a dextra Tiferni ripa.

Ab ortu Samnitibus adjacebant HIRPINI, & ipſi quondam pars Samnii, quorum oppida fuerunt: *Abellinum* ad Sabatum flumen; *Calliſæ*, Rufrium: Lacus *Ampſanctus* mephitim exhalans, *Tauraſium* colonia ad *Ca-*

ad *Caloris* fluvii dextram : *Aquilonia* oppidulum : *Æca* municipium (unde Æcani ſunt) nunc *Troja* : *Compſa*, ad Aufidum amnem.

APULIA a Frentone flumine ad iſthmum Calabriæ, ſive Brundiſium juxta mare Adriaticum continuatur. Inter Frentonem & Cerbalum fluvios *Garganus* mons in peninſula, poetis celebratus : *Teanum Apulum*, ad diſcrimen Sidicini in Campania : *Gerion* ſive *Gerionum* · *Arpi & Luceria* ; *Sipontum* (Græcis Sipus) ad oſtia Cerbali : ſupra quæ oppidum *Uria*. Inter *Cerbalum* autem & Aufidum *Salapia* cum *palude Salapina* : & in meridiem reductum *Aſculum* Apulum cognomento, ad quod Romani cum Pyrrho depugnarunt; ac *Herdonia* recto itinere inter Æcas & Canuſium. Quidquid hujus Apuliæ eſt inter amnes Frentonem atque Aufidum DAUNIA olim, ſive Dauni regnum appellatum fuit.

Poſt Aufidum *Canuſium* erat, & mari propiores *Cannæ*, Romanæ cladis triſte monumentum ſecundo Punico bello : maritimæ civitates *Barium & Egnatia*, mediterraneæ *Venuſia* colonia, patria Horatii in Lucaniæ finitibus : item *Acherontia* oppidum, & *Forentum*, & *Bantia*, & mons *Vultur*. Et hæc Apuliæ pars PUCETIA, ad Dauniæ diſcrimen, & populi *Peucetii* appellati ſunt.

Ultimus, ortum verſus, Italiæ receſſus ſive peninſulæ Græcis JAPYGIA dicitur, populi *Japyges*, quanquam horum nomine longior tractus, atquæ ſic ipſa quoque Apulia antiquis temporibus ſignata fuit. Romani hujus peninſulæ, a Lucania ſeparatæ, partem ſuperiorem, quæ inter Apenninum, & Adriaticum mare eſt

CALABRIAM dixere : alteram, inter montem hunc, ſinum Tarentinum, SALENTINORUM agrum, Græci autem MESSAPIAM appellavere. Verum tota peninſula non raro Meſſapia & Calabria communiter nominatur. Latitudo iſthmi inter Tarentum & Brunduſium. Prima itaque Calabriæ urbs Brunduſium fuit, colonia portu in Græciam euntibus aptiſſimo inſtructa : ab hoc *Valetium*, & Aletium : ulterior *Hydrus*, ſive *Hydruntum*, hodie *Otranto*, itidem portu celebrata : *Lupia* inter Hydruntum & Brunduſium. Altero latere ad ſinum urbs potens *Tarentum* erat, quæ nomen hodieque retinet, bello Romano, quo Pyrrum in partes vocavit, nobiliſſima. Poſt hanc in Salentinis *Uria* fuit, & *Rudiæ* Ennii poetæ patria : ulterius, *Monduria*, & *Neretum* : *Callipolis*, Melæ urbs Graja, & Plinio *Gallipolis* : Senonum opus, & tandem *Promontorium Salentinum* ſive *Japygium*, terminus Italiæ, inter quod & Hydruntem *Baſta* oppidum fuit.

Ad Inferum mare & LUCANIAM regredimur, quam *Silarus* amnis Picentinis ; *Laüs* a Brutiis diſtinguit. Silaro miſcetur *Tanager*, poſtquam ex ſpecu, quo IV. millia paſſuum latenter fluxerat, emerſit. *Atinum* oppidum ad dextram ipſam Tanagri eſt. *Alburnus* mons : *Pæſtum* oppidum (Græcis *Poſidonia*, *Neptunia* Vellejo) unde Pæſtonus ſinus, Pæſtanæ roſæ : *Velia* ſive *Helia*, & *Elea*, ultra fluvium *Haletem* (*Hales* primo caſu) qui in ſinum ibi *Eleatem* decurrit. Portus *Velinus*, & ad finem ſinus *Palinurus*, portus ſub *Palinuro* promontorio, poſt quod & fluvium *Melphen*, oppidum *Buxentum*, Pyxus Græce, nunc *Polycaſtro*, inde *Laüs* fluvius, cum ſinu, & oppido ejuſdem nominis. Cis Laùm etiam *Blanda*, oppidum, fuerunt, Livio memoratæ.

Sed hæc Lucániæ pars, quæ ad mare Tuſcum fuit : ad ſinum Tarentinum quoque nobiliſſima urbs *Sybaris* Brutiis contermina. qua deleta eodem fere in loco *Thurium* conditum eſt, ſive *Thurii* Græca colonia. *Lagaria* propior mari : *Siris* amnis, & ad eum oppidum eodem nomine, quod *Heraclea* ab Tarentinis ibidem condita, navale Heracleenſium factum eſt. *Hacilla* Heraclea eſt, in qua poeta Archias ſe civem ſcribi voluit. *Aciris* fluvius proximus, & obſcuriores : tandem in eodem litore, *Metapontum* Pythagoræ obitu, & Templo urbs clariſſima. In Mediterraneis Lucaniæ *Grumentum*, nunc *Agromento*, ad dextram Aciris fluvii : *Ancæ*, *Acalandra*, *Potentia*, unde Potentini apud Plinium ; *Abellinum*, *Marſium*, *Sontia* : *Genuſa* ſupra *Bradonum* flumen, *Volcentum*, unde Volcentani. Quidquid reliquum Italiæ eſt, a Lucania ad Siciliæ fretum BRUTII poſſederunt, qui tractus peninſulam conſtituit ſublongam, & in duas per Apenninum partes diviſam. Cis montes ad Tyrrhenum mare a Lao fluvio, Lucaniæ termino, fuere *Cerilli* ſive *Carillæ* ; *Clempetia* oppidum, *Tempſa* ſive *Temeſa* colonia, *Terina*, quæ ſinui *Terinæo* nomen dedit : *Lametia*, ſive *Lametus*, unde idem ſinus etiam *Lametinus* dictus, hodie *Golfo* di *S. Eufemia* : *Vibo*, quæ & *Valentina*, & *Hipponium* dicitur, & *Vibona Valentia*, colonia, unde & ſinus *Vibonienſis* cognominatur : *Metaurum* oppidum, & amnis *Metaurus* : *Taurianum* oppidum & *Acyllæum* cum promontorio & cavata ſaxo (ad quod *Scylla* notiſſima fabula pertinet) è regione Pelori promontorii Sciciliæ : ad medium fretum *Rhegium* oppidum, & tandem *Leucopetra* promontorium, Italiæ in hac parte terminus, quod & *Bruttium* promontorium appellatur.

Inde ex altero maris Jonii latere proxima promontoria ſunt *Herculis*, & *Zephyrium* ; urbs *Locri*, ad ſinum Locrenſem : *Caulon* ſive *Caulonia* : ab hac longius remotum in Septentrionem *Scylatium* oppidum & promontoria, *Lapygum*, & *Lacinium* cum templo Junonis Laciniæ : *Croton* vel *Crotona*, quam *Æſarus* amnis perluit : *Kuſcianum* caſtellum, nunc *Roſſano*, *Sybaritarum* olim navale.

Mediterranea Bruttiorum *Pandoſia*, Lucaniæ vicina : *Capraſia*, *Conſentia*, *Numiſtro*, ad quam Marcellus Hannibalem vicit, ex Ptolemæi poſitione : *Tetellia* ſive *Petilia*, & *Acheron* amnis vel *Acheros*, quo Alexander Epirota periit, & oppida obſcuriora, *Uſſugum*, *Verge*, *Beſidiæ*, *Hetriculum*, *Scypheum*, *Argentanum*, de quibus Livius lib. XXX. cap. XIX.

Tractus hic Italiæ inferior MAGNA olim, vel MAJOR GRÆCIA propter Græcanicas colonias appellabatur, ſed non æqualiter ab omnibus determinatus fuit. Sunt qui omnem oram maris Inferi, atque ita Lucaniam quoque, Campaniam, non ſolos Bruttios, & ſinui Tarentino appoſitas urbes in Majore Græcia collocant. Nec negari poteſt, Campaniæ & Lucaniæ multas fuiſſe Græcorum colonias. Præcipuæ ſub Magna Græcia urbes Grajæ a Tarento ad Siculum fretum ; & Siciliæ latus illud, quod Græcium ſpectabat, comprehendebatur.

VIÆ STRATÆ PER ITALIAM.

ANTIQUÆ Italiæ non mediocre ornamentum erant Viæ lapidibus ſtratæ, è quibus nobiliores, & quidem de conditoribus ſuis cognominatæ fuerunt :

I. VIA APPIA opus Appii Claudii Cæci, ex Capena Porta ſub Albano lacu Ariciam, & Velitras, ac per Pomptinas paludes aggeribus munita, Tarracinam, Sinveſſam, ac Capuam ferebat ; inde per Samnium, & Apuliam uſque Brundiſium producta.

II. FLAMINIA per Etruriam ad Ocriculum, & inde per Umbros Ariminum uſque ſtrata. Via quoque a Bononia Aretium ducta itidem Flaminio auctore.

III. ÆMILIA Flaminiam excipiens, Arimino Bononiam, & inde Aquilejam ferebat. Erat & alia *Æmilia* per Piſas, Lunam, Sabatas, Dertonam uſque deducens, opus Æmilii Scauri, qui & viam ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum produxit.

IV. AURELIA via per Tuſciæ maritimam oram, oppidaque Pyrgos & Centumcellas, ad forum Aurelii, & ulterius ad Piſas uſque munita.

V. VALERIA à Tibure incepit per Sabinos, et Marſos confinium uſque extenſa ; urbes habuit Valeriam, Carſeolos Albam.

Aliæ viæ ex locis, aut gentibus, quo ferebant, denominatæ. LATINA via, quæ ab Roma inter Tuſculum & Albanum montem ducta, oppida propinqua aut contigua habebat Algidum, Ferentinum, Fruſinonem, Fabrateriam, Aquinum, Interamnam, Teanum, & tandem ad Caſinum in Appiam incidebat.

Sic via TIBURTINA, NUMENTANA, PRAENESTINA, LAVICANA, PORTUENSIS, OSTIENSIS, ARDEATINA, quælibet ab oppido, ad quod ducebat, nomen accepit ſuum. At SALARIA per pontem Anienis prope confluentem, inter Tiberim & Numentanam viam in Sabinos ducebat, Fidenarum ac Cruſtumerii ruinas contingens. Ita autem dicta fuit auctore Feſto, quod Sabini Sal per eam a mari deferebant. Via TRIUMPHALIS a porta Triumphali ad Vejos, antiquam Tuſciæ urbem, nunc *Iſolam*, pertinuit.

INSULÆ minores ad Italiam attinentes (de majoribus ſingulari capite agemus) fere omnes in Tyrrheno mari ſunt, paucæ in Adriatico. Tuſciæ ſubjacent *Ilua* ſive *Æthalia*, ubi nunc *Portolongone* eſt ; *Planaria* ſive *Planaſia*, in quam Auguſtus Agrippam poſthumum, nepotem ſuum deportavit. Sub Latii litore ad Campaniam vergentis, *Pontia* inſula colonis Romanis aucta, exilium Flaviæ Domitillæ, Chriſtianæ illuſtri ortu fœminæ *Pontias* Livius dixit pluraliter : *Pandataria* inculta in ſinu Puteolano, in quam Auguſtus Juliam ſuam, & Tiberius Agrippinam nurum relegavit. *Ænaria & Pithecuſa* ; et ſub extrema Campania *Capreæ*, Tiberii ſeceſſus.

Contra Pæſtanum ſinum *Leucaſia* ſive *Læcueſia* eſt, a Sirene ibi ſepulta appellata : contra Veliam, *Pontia* alia, ſed minor ; & *Iſcia* utræque uno nomine *Oenotrides*, argumentum poſſeſſæ ab Oenotriis Italiæ : et contra Vibonem parvæ, quæ vocantur *Ithaceſiæ*, Ulyſſes ſpecula. Vide Plin. lib. III. cap. VII. In Supero mari *Diomedis* inſulæ ex adverſo Apuliæ ; in *Tarentino* ſinu *Electris*, ſive *Febra* : inter Calabriam & Epirum *Saſon*. De *Inſula Sacra*, quam oſtiis ſuis facit Tiberis, et de aliis fluvialibus, jam nihil attinet dicere.

CAPUT X.

DE SICILIA, SARDINIA, & CORSICA.

SICILIA omnium interni maris Inſularum maxima, a Sicanis incolis *Sicania* a tribus ἄκροις hoc eſt, promontoriis, *Trinacria* olim appellata fuit. Promontoria illa ſunt *Pelorum* ad fretum, quod Italiam ab Inſula ſecernit : *Pachynum* quod Peloponneſum proſpicit : *Lylibæum* e regione Carthaginis.

Inter Pelorum, & Pachynum hæc ſunt ; *Meſſana*, hodie *Meſſina*, colonia Meſſeniorum Peloponneſi, vicina freto & *Charybdi* famoſæ in freto voragini, cui in Italiæ littore *Scylla*, rupes cavata, opponitur. *Zancle* fuit hujus urbis nomen, antequam novum colonia inderet. *Mamertini* vero, Italici generis mercenarii milites colonos oppreſſerunt, unde fretum etiam, & ager ſuburbanus cognomen Mamertini acceperunt. Succedit *Chalcidicus* mons & ex longiore intervallo *Drepanum* promontorium : proximè *Taurominium*, oppidum portu inſtructum, antea *Naxos* dictum : ſed *Aſines* fluvius, e regione *Ætnæ*, ignivomi montis, non tam fabulis, quam veris hiſtoriis funeſtiſque cladibus, quam circum colentibus attulit,

longè notiſſimi. In latere montis oppidum *Ætna* antea *Ineſſa* vocatum. Ad mare quoque *Cyclopum Scopuli*, *& Uliſſis portus*, poſt quem *Catana*, vetus colonia quam *Amenanus* interfluit, *Morgantia* vel *Morgentium* haud procul ab oſtio *Symæthi*: ad interiora inſulæ recedunt *Hybla major*, *& Centuripa* ad radices Æthnæ: poſt fluvios autem *Symæthum*, *& Erycen*, *ac Teriam*, urbs *Leontini*, a qua late patent *Leontini campi*, qui & *Læſtrigonii* dicuntur, nomine de priſcis cultoribus *Læſtrigonibus* deducto; *Trotilum*, oppidum ad maris ſinum: *Mylas* amnis; & oppidum *Megara*, antea *Hybla*: proximus *Sinus Megarenſis*, vel *Megarus*, in quem *Alabus* fluvius exoneratur. Fontibus hujus amnis *Hyblæi colles* imminent, thymo & mellis proventu lætiſſimi. *Tapſus* peninſula & oppidum: inde *Syracuſæ*, urbs magna & regia, multis caſtellis, portubus, operibus munita. Adjacens inſula, & ipſa pars urbis, *Ortygia*, arcem civitatis habet & *Arethuſæ* fontem. Medio loco inter Syracuſas & Pachynum *Elorum* ſive *Helorum* oppidum et flumen, et *Tempe Heloria*, *& Neetum* vel *Netum*, *& Motica* ſive *Mutyca*. Atque hæc omnia in primo latere, quod Græciam reſpiciebat.

Inter Pachynum, et Lilybæum portus *Odiſſea*, Ciceroni memoratus, *Camarina* urbs: *Hypparis*, *& Oanus* amnes: ex intervallo *Gella* fluvius et urbs, unde *Geloi campi* appellantur. Poſt hos fluvius *Himera*, maximus inſulæ, quo hæc in duas quaſi partes dividitur, *Agrigentum* emporium ad mare inter *Acragam*, *& Camicum* fluvios: at urbs *Agrigentum* a mari remotior. *Heraclea Minoa* cognomine: *Halicus* amnis: *Triocala* reducta a mari: *Pintia* vel *Phintia* oppidum: *Thermæ* colonia, quæ & *Aquæ Selinuntiæ*, *& Aquæ Labodæ* dicta: amnis *Hypſa*, qui *Crimiſſum* recipit, juxta quem Timoleon Carthaginienſes vicit: *Selinus*, urbs quondam potens, atque celebris; *Mazara* flumen & emporium: *Lilybæum* oppidum et promontorium.

A Lilybæo in tertio latere, proximum fuit *Drepanum* oppidum cum portu, & introrſus mons *Eryx*, poſt Ætnam altiſſimus inſulæ, qui in vertice arcem cum *Veneris Erycinæ* templo; in acclivitate oppidum ejuſdem nominis habuit. Promontorium *Ægitharſus* ſive *Ægithallus*: oppidum *Motia* (quæ et *Mutye & Mute*) cum *portu*: *Segeſtanorum portus*, & ad interiora recedens urbs *Segeſta*, antea *Ægeſta*: flumen *Themeſſus*, qui aliis *Herbeſſes*: oppida *Parthenicum & Hyccara*; ultra hæc *Panormus* cum portu, hodie urbs ſplendidiſſima *Palermo*: portui imminens *Ercta* caſtellum montanum, *Salus* ſive *Saluntum* oppidum: *Himera* flumen & urbs: *Thermæ Himerenſes*: oppida *Cephaledum*, *Alaſa* vel *Haleſa* ad fluvium *Alæſum*: *Calacta*, *& Aluntium*: *Agathyma*, vel *Agatirnum*: & urbs *Tyndaris* ſive *Tyndarium*, Romanis colonis aucta: in Cherſoneſo *Mylæ*, nunc *Milazzo*, & ultra peninſulam *Naulochus* ſive *Naulocha*, inter quæ oppida Octavianus Cæſar Sextum Pompejum claſſe vicit, juxta *Artemiſium* nempe, ſive *Dianæ Faſcelinæ fanum*, quod medio ſitu erat. Inter Milas, & Pelorum lacus eſt, fœdo purgamento maris abundans, unde *Solis* ibi *Boves* ſtabulari in fabulis fuit.

Hactenus Sicilia in maritimis perluſtrata, ad mediterranea progredimur: *Tiſſa* Ætnæ a ſeptentrione vicina: ab occaſu hiberno monti adjacet, de qua ſupra diximus, *Centuripe*, & ulterius eodem tractu *Agyrina*, ſive, ut Ptolemæus & Itineraria ſcribunt, *Agyrium*: & longius in meridiem, ac occaſum receſſit *Enna* ſive *Henna*, excelſo loco ſita, umbilicus Siciliæ. Infra urbem *Perguſa* lacus eſt, & ſpelunca, ex qua Pluto Proſerpinam rapturus prodiiſſe fingitur. Inter Ennam & Agyrinam *Aſſorus* oppidum, ſive *Aſſorium*, amnis *Chryſas*, mons *Heræus*, qui & in ſeptentrionem adſurgit, ubi *Capitium* ſive *Capitina civitas*, *& Herbita*, *& Imachara*: ſed *Adranum* ſub radicibus Ætnæ inter Centuripem, & *Hyblam* majorem, quæ in agro Catanenſi erat: nec procul *Magella* videtur abfuiſſe, & *Hergetium* ſive *Sergetium*. Inter Ennam & Syracuſas *Mena* ſive *Menena* urbs; et *Palica*, cum lacu & fano: *Erbeſſus* ſive *Herbeſus* oppidum ſupra Agrigentum inter Acragantem Halyiumque amnes: *Motiyum* caſtellum in Agrigentinorum agro: ulteriora *Hentelli & Ietæ*, ſive *Ietas* virili genere, *Macella & Engrum*: *Amaſtretum* ſive *Amaſtra* (etiam *Mutiſtratum* videtur dictum, unde *Mutiſtrati* ſunt) *Noma Apollonia*, & incertæ poſitionis *Callipolis*, *Abolla*.

Inſulæ minores Siciliæ adjacentes ſunt:

I. ÆOLIÆ, quæ & *Vulcaniæ* dicuntur, inter Siciliam & Lucaniam ſitæ, contra Mylas, Tyndaridem, & Metaurum Bruttiorum amnem; Plinio ſunt ſeptem: *Hiera*, quæ *Vulcani inſula* dicitur; *Lipare* cum civium Romanorum oppido; *Strongyle* Æoli regis ſedes: *Dydima*, *Ericuſa*, *Phœnicuſa*, *Evonymos*: Has præſertim Hiera, quod fumum interdum ac ignes eructare viſæ ſunt, poetæ finxerunt, & in iis Vulcani ſedes ac officinam eſſe.

II. ÆGATES, tres ad latus Siciliæ occidentale, ſive contra Lilybæum promontorium, ad quas navali pugna finis fuit Punico I. bello impoſitus, Αἰγούσας Græci vocant; aliis *Æguſa* eſt *Ægatum* primaria.

Medio inter Siciliam & Africam loco ſive ad auſtrum Siciliæ, ſita eſt MELITE, hodie *Malta* vel ſolo Pauli naufragio memorabilis. Oppidum habuit in medio inſulæ: præterea *Fanum Junonis* in promontorio, & *portum cum fano Herculis* in auſtrino latere. Huic ex brevi intervallo ad occaſum objecta inſula GAULOS, hodie *Gozo* dicta: incolæ *Gaulitani*, Callimacho Gaulos *Ogygia* eſt, *Calypſûs* inſula, quod ex Homeri deſcriptione Melitæ potius, quam Gaulo debere tribui, Cluverius cenſet, cui minime placet vulgaris ſententia, quæ Calypſus inſulam *Ogygiam*, in ſcopulis neſcio quibus, Lacinio Italiæ promontorio obtentis, quæritat. COSYRA quoque ſive COSURA in hac maris medietate eſt parva Silio; ſterilior, quam Melitæ, Naſoni.

CORSICA, græcè Κυρνος, *Cyrnus*, Liguſtici maris Inſula, in orientis latere duo oppida non contemnenda habuit, *Nicæam*, *& Aleriam*. Nicæa ex C. Marii colonia *Marianæ* nomen accepit, quod nunc etiam in ruinis manet: *Aleria*, quamvis & ipſa colonia facta Syliæ dictatoris auſpiciis, nomen non mutavit. Cætera, tam portus, quam promontoria ac oppida, quæ Ptolemæus recenſet, quod in antiquis hiſtoriis nulla mentio eſt, intacta præterimus. Ipſa Inſula inculta fuit & horrida, ut Seneca, in eadem exul, ad Helviam matrem perſcripſit.

SARDINIA, græcè Σαρδὼ, in meridiem Corſicæ ſubjecta, a qua LX. ſtadiorum freto, quod *Foſſam* vocant, dirimitur. In majoribus interni maris inſulis numeratur, magnitudine parum cedens Siciliæ, ſed formæ eſt oblongæ. In latere, quod ſolem orientem reſpicit, non ignobilia oppida fuerunt, *Olbia*, cum portu *Olbiano*; *Caralis*, ſive multitudinis numero, *Carales*, ad ſinum *Caralitanum*: inter utramque urbem, ſed intus & remotius a mari: *Valeria*, *Nora*, *Ferraria*. In parte auſtrali *Sulci*, colonia Carthaginienſium; cujus incolæ *Sulcitani* dicti, promontorium *Sulcenſe*. Ab occaſu *Uſellis* colonia *& Neapolis*, quæ nomen hodieque ſervat; *Baſa*, *Coracades portus*: & colonia, quæ vocatur ad *Turim Libyſonis*, hodie *Porto* di *Torre*. Flumina nobiliora, *Thyrſus* inter Uſellim & Neapolim: *Termus* Boſam præterfluens. Proverbia ex hac inſula petita, *Riſus Sardous*, Sardi venales, in vulgus nota ſunt. Minores quoque Inſulæ, ſed obſcuræ pleræque, Sardiniam circumjacent: a ſeptentrione *Foſſæ*, unde freto nomen impoſitum fuit: ab ortu *Hermæa*, *Cunicularia*: ad auſtrum *Ænoſis*, *& Hieracum* ſive *Accipitrum inſula*: ab occaſu *Bertula*, & inſulæ *Herculis*.

CAPUT XI.

DE MACEDONIA, & THESSALIA.

EX Italiæ, cujus jam inſulas luſtravimus, in Macedoniam & Epirum trajicimus. quæ antiquis temporibus diſtinctæ a Græcia erant, ut ſeparata regna; poſt, creſcente Macedonum potentia, etiam ſub Romanorum imperio, cum Græcia coaluerunt.

MACEDONIÆ longitudo ab Adriatico ad Ægæum mare fuit, latitudo non omnium temporum, nec locorum eadem. A Liſſo ad Oricum fuit in latere occidentali, ſive in Adriæ maritimis, a populis habitata, Illyricæ potius quam Græcæ originis. Ad Ægæum mare antiquis temporibus inter Strymonis & Penei oſtia continebatur: poſt Thraciæ pars, quæ inter Strymonem et Neſſum fluvios eſt. ab Regibus Macedoniæ adjecta. In mediterraneis a ſeptentrione juga perpetua habet, quæ cum Hæmo cohærent: ad auſtrum cum Theſſalia communes termini erant, et ex parte cum Epiro. Ptolemæus Theſſaliam Macedoniæ admiſcet, nos eam diſtincte conſideramus.

In maritimis, et quidem ad Illyricum mare fuit TAULANTIA, populi *Taulantii*, et urbs *Dyrrachium*, nunc *Durazzo*, *Epidamni* veteri nomine in hoc auſpicatius commutato, colonia Romana portu commodiſſimo celebrata. *Aſſus* fluvius: *Apollonia* literarum ſtudiis florida, colonia Corinthiorum: *Aulon*, hodie *Valona*. *Aous* *Apolloniam* præterfluens: & *Celydnus* amnis, hunc inter & Aulonem: ELYMIOTIS, ubi *Bullis* maritima: in mediterraneis *Elyma* ſive *Elyæa*, in Epiri finibus.

ORESTIS, ubi *Celetrum*, in lacus peninſula, & duplex Ptolemæi *Amantia*, maritima & mediterranea. A tergo his oppoſita, & reducta a mari, DASSARETIA, Δασσαρῆτις, populi *Deſſaretæ* vel *Daſſaretii*, lacum circumcolentes, cui adjacens oppidum *Lychnidus*, hodie *l'Ocrida* (medio ævo *Achris*, Juſtiniani patria) nomen dedit. Eodem tractu erant, *Creonium*, *Gernus*, *Euchelanæ*, *Statio*, *Bai*, *Pelium*: nec longe remota *Antipatria* in faucibus anguſtis ſita, & *Codrio*; in *Peneſtarum* finibus *Uſcana*. Sed citeriores CALICÆNI, in quibus *Bantia* fuit, inter Aoum & Celydnum amnes.

In Septentrionem mediterranea excurrunt PÆONIA; in quæ *Dobertus*, *& Alorus*; & PELAGONIA, in qua *Stobi* erant, civium Romanorum poſt Macedonica bella municipium; & *Fiſſæum*: at *Erigonius* amnis Pæoniam percurrens tandem in *Axium* editur. Infra amnem LYNCESTIS erat, in eaque *Lyncus & Heraclea* Lynceſtidis cognomine. At oppidum *Pelagonia* caput, & conventus juridicus ejus partis fuit, quæ poſt montem *Boram* inter Illyricum et Epirum media eſt.

In ortum et ad ſinum Thermaicum receſſit EMATHIA, quod nomen aliqnando totius Macedoniæ eſt; tractus inter *Axium*, *& Aliacmonem* fluvios, & quaſi Macedonia propriè dicta, in qua præcipuæ Macedonum urbes fuere: *Pella* regia, Alexandri Magni incunabulis clara: *Ædeſſa*, antiqua regia, ſepulchris Regum nobilis, poſtea *Æga & Ægea* dicta: *Beræa* ſive *Berrhæa*: item *Ænia*, *Scydra*, *Idomene*, *Methone*, *Gortynia* Thermæ.

PIERIA ad Thermaicum ſinum Theſſaliæ vicina, in qua *Pydna* fuit, urbs clara et munita, ubi Olympias regina periit, ab Caſſandro expugnata: *Aliacmonis oſtia*; etiam oppida *Phylace* ac *Vallæ*, & colonia *Dium*, in Theſſaliæ finibus, & *Phyla & Heracleum*, munita oppida. Supra Emathiam MYGDONIA, a mari remota, cujus oppida *Antigonia*, *Phyſcæ*, *Terpillus*, *Aſſorus* (Ασσορος) *Apolloninia Lete*.

Hinc urbes maritimæ inter ſinus Macedonicos in ortum jacent, & quidem ad ſupremum ſinum Thermaicum *Theſſalonica*, tum aliis rebus, tum Pauli epiſtolis clariſſima; intra hunc ſinum & Toronicum *Pallene*, urbs & peninſula: in iſthmo *Potidæa*, poſt *Caſſandrea* appellata: *Methone* ante ſinum, et *Torone*, quæ nomen dedit ſinui, ſicut *Singus Singitico*, a quo una cum *Olyntho*, quam Philippus evertit, et *Acantho* alluitur; *Augæa* a mari ad *Chabrium* amnem remotior: ad Strymonium ſinum *Stagira*, Ariſtotelis patria: & in peninſula, quam hic ſinus et Singitius faciunt, *Stratonice*, et mons *Athos*, a Xerxe perfoſſus, *Athoſa* promontorium et civitas. Mariti-

ritimum hunc tractum, qui ab Atho monte ad Singum oppidum eſt, Ptolemæus *Chalcidicam* vocavit: nec longe diſtabat, niſi eadem plane fuit, quæ Sithonia regio ab urbe *Sithona* nominata fuit.

Juxta Strimonem BISALTÆ erant et EDONES. A latere his SINTICA oppoſita, ubi *Parcecopolis* fuit & *Æraclea Sintica*. In Biſaltica, *Euporia*, *Caliterra*, *Oſſa*, *Berta*: & auctore Plinio *Amphipolis* in ripa Strymonis: in Edonide *Philippi* trans Strymonem, unde bellum Philippenſe dictum, quo Caſſius et Brutus juxta hanc urbem cum Octaviano et Antonio depugnarunt: inter Strymonis et Neſſi oſtia ad mare *Oeſyma* & *Neapolis*. *Neſſus* autem ſive *Neſtus*, Thraciæ terminus, poſtquam Macedoniæ reges ultra Strymonem fines protulerunt.

Multa incertæ poſitionis ſunt a Livio & Polybio commemorata, ut *Citium* mons et oppidum, *Orgeſſum* caſtellum (niſi forſan Orgyſcum Polybii in Piſſantinis eſt) & alia.

Flumina pene omnia ex dictis cognoſcuntur. In Adriaticum mare ſe exonerant *Apſus*, *Aous*, & *Colydnus*: *Drilon* Illyricus amnis in Macedonia fontes habet, aut lacus, è quibus, alio quamvis nomine, emanat. *Peneus* inrer Theſſaliam et Macedoniam decurrens; et *Aliacmon*, etiam *Axius*, auctus *Erigone*; necnon *Echedorus*, & *Chatrius* in ſinum *Thermaicum*, hodie *Golfo* di *Salonichi*, effunduntur: *Strymon* in ſinum ſui nominis.

THESSALIA Macedoniæ in meridiem ſubjacet. Ab ortu mari terminatur a Thermopylis ultra Penei oſtium: a meridie jugis ab Oeta monte ad Pindum protenſis: ab occaſu Ætoles, Acarnanes, et Amphilochos reſpicit.

Dividitur in quatuor gentes a Strabone, *Eſtiaotas*, *Theſſalos* proprios, *Pelaſgos*, & *Phthiotas*, quibus *Magnetes*, in angulo & montem Pelion colentes, acceſſionem fieri haud invitus idem Strabo patitur, ut ſic ſint quinque regiones Εστιαιῶτις, Θεσσαλιῶτις, Πελασγιῶτις, Φθιῶτις, & Μαγνητικὴ παραλία. Singulis partibus ſuas urbes tribuere difficile eſt: quantum tamen poterimus, diviſionem conabimur diſpenſare.

ESTIÆOTIDIS, quæ occidua pars Theſſaliæ eſt Ptolemæo, ab occaſu in ortum progredienti, civitates ſunt *Phæſtus*, *Gomphi*, *Atinium*, *Tricca Ctemena*, *Metropolis*. Strabo addit *Ithomen* Homeri, et *Pelinnæum*, cui fanum, ut ex Phylace conſtat, ſubauditur. Sane Gomphi, etiam Cæſare auctore, ſunt oppidum primum Theſſaliæ venientibus ab Epiro. Inter Gomphos autem & fauces, Theſſaliam ab Athamania dividentes, oppidum Pheca medium fuit.

THESSALIÆ PROPRIÆ *Hypata*, *Soſthenis*, *Cyphera*, *Phalachthia*. Etiam populi *Ænianes* hic ex parte collocantur: pars in Oeta monte.

PELASGIOTIS, Pieriæ Macedonicæ contermina, ejuſque urbes ex Ptolemæi diſpoſitione fuerunt *Doliche*, *Azorus*, *Atrax*, *Scotuſa*, juxta quam colles erant Κυνὸς Κεφαλαὶ dicti, ubi victus fuit Rex Philippus a Q. Flaminio. *Lariſſa*, *Cranon*, & *Gonni* in faucibus ſeu aditu Τῶν Τεμπῶν; *Tempe* autem amœniſſimus locus ad Peneum amnem: ſupra illa mons *Olympus*; *Gyrten* in Perrhæbis, qui ad Peneum colebant. Sed *Pheræ* terminus pelaſgici campi ad Magneſiam.

PHTHIOTIS infra Pelaſgiotidem ad mare uſque pertinuit, ejuſque urbes fuere præter *Phthiam*, unde nomen eſt, *Lamia* bello Lamaico nota: *Heraclea*, *Coronea*, *Thebæ*, ſingulæ cum cognomine Φθιώτιδος; *Lariſſa*, *Cremaſte*, *Eretria*, *Pagaſæ* Pherarum navale: *Demetrias* navale regum Macedonum, exhauſtis pagaſis: populi *Malienſes*, & *ſinus Maliacus*, ad quem *Phalara* erant; ſuper eum *Echinus*, & *Thaumacia*, quam alii ad Theſſaliotidem referunt. Fuit & *Pharſalus*, in cujus campis Pompejus victus, in his finibus ab occaſu.

MAGNESIÆ fuit urbs *Magneſia*, & promontorium hujus nominis: *Antron*, *Methone*, *Babe*, & *Bebeis* lacus, *Iolcos*, & *Aphetæ* ad ſinum Pegaſæum, unde Argonautæ ſolverunt. Gigantum bello famoſi *Oſſa* & *Pelius* montes. *Sicorium*, & *Melibœa* ad radices Oſſæ.

Hæc præcipua Theſſaliæ. Multa vero ſuperſunt incerti ſitus, & fines Pelaſgorum, Phthiotarum, Magnetum admodum confuſi, ac diverſis auctorum ſententiis perturbati. Quid? quod ipſe terminus Theſſaliæ borealis non poteſt Penei oſtium eſſe (niſi de maritimis hoc forſan intelligas) ut vulgo ex Strabone affertur, ſed vel *Olympus* trans amnem, vel vicinus *Pierius* mons, Muſarum domo inclytus. Quædam etiam dubia ac controverſa ſunt, ut *Hypata*, *Pelinna* ſive *Pelinnæum*, quæ ab aliis in orientali parte conſtituuntur, ab aliis nimium quantum removentur in occidentem.

Fluviorum Theſſaliæ maximus eſt *Peneus*, Πηνειός, qui Tempe percurrens, in ſinum exoneratur Thermaicum. Huic minora miſcentur, *Enipeus*, & *Apidanus*, ſed Enipeus ab Eretria Pharſalum præterlabens, in Epidanum ſe effundit. *Sperchius* Σπερχειός, in ſinum influit Maliacum.

CAPUT XII.

DE EPIRO ET ACARNANIA.

PTOLEMÆUS Epirum tam late extendit, ut & Acarnanas & Amphilochos comprehendat. Alii hos ab Epirotis diſcernunt.

EPIRUS vetus (nam de nova avulſa Macedoniæ parte, in medii aevi Geographia agimus) ab Onio, quæ ſupra Ceraunios montes eſt, in angulo maris Ionii & Adriatici uſque ad Ambracium ſinum protendebatur. Diviſa fuit in *Chaoniam*, *Theſprotiam*, & *Moloſſidem*.

In CHAONIA *Oricum* urbs cum portu Græcæ Illyridi, hoc eſt, illi Macedoniæ parti, quæ ab Illyricis gentibus potiſſimum habitatur, proxima: *Chimæra* caſtellum: *Palæſte*, ex civili bello nota: *Onchesmus* portus, *Antigonia*, *Omphalium*, *Elatus*: etiam regio *Atintania*, frigida & aſpera cultu, ad hanc partem videtur pertinuiſſe. Montes *Ceraunii* ſive *Acroceraunii*.

Hinc THESPROTIA ad Ambracium ſinum percurrit ſub Pindo monte, quem a ſeptentrione habet. Prima urbs Caſſiope, maritima: poſt hanc *Buthroton* itidem litoralis, & colonia. *Thyamis* fluvii oſtia, ubi Pomponii Attici villa fuit: *Sybota* (τὰ Σύβοτα) portus deſertus in continente, & alius ejuſdem nominis in vicinis inſulis: *Chimerium* promontorium & oppidum: *Acherontis* oſtia, juxta quem amnem *Ægeſtæ* populi ponuntur, & campus *Ægeſtæus*: *Acheruſius* lacus, e quo amnis Acheron erumpit: *Pandoſia* Caſſiopæorum juxta Acherontem: *Elatria*: *Comanus* portus: *Nicopolis* Romana colonia, victoriæ Actiacæ monumentum; *Ambracia* Pyrrhi regia, colonia Corinthiorum ad ſinum, qui inde *Ambracius* appellatur, hodie *Golfo di l'Arta*. An autem *Larta* ſive *l'Arta* ſit ipſa Ambracia, ut vulgo creditum fuit, dubitant recentiſſimi peregrinatores.

Supra Theſprotos MOLOSSI ſunt, quorum *Dodone* (Δωδώνη) fuit celebratiſſima oraculo: *Paſſaron* cum obſcuris *Phylace* & *Horreo*. Fluvius *Arachthus*. Hinc incipit *Pindus* mons, qui inter Muſarum quoque habitacula recenſetur: ſed longa potius juga, quam mons unus, a variis Epiri & Theſſaliæ gentibus habitata. Huc enim pertinent *Æthices*, *Perrhabi*, *Athamanes*, *Dolopes*, *Dryopes*, & alii: unde regionum etiam nomina ſunt, ut *Perrhabia* (non illa Theſſalica, ad Peneum flumen, & Olympum: diviſa enim locis & diſperſa hæc gens fuit) & *Athamania*, cujus præcipua urbs fuit *Argithea*. Dividit Pindus inter Macedoniam, Theſſaliam, Epirum. Media pars montis, Epirum verſus, Τόμφη vel Στυμφη dicta, unde nomen regioni *Stymphæa*, vel *Tymphæa*.

ACARNANIA incipit a ſinu Ambracio & deſinit in fluvio *Acheloo*, qui eam ab Ætolia ſeparat. In principio *Actium* erat, urbs non magna, ſed Apollinis templo & tuto portu jam olim celebris: ſplendidior facta poſt Auguſti victoriam, & Romanam coloniam eo deductam. Non longe ab Actio in ipſo ſinu *Anactorium* fuit, & Nicopoli poſtmodo exhauſtum oppidum. Medio litore *Leucas* erat; urbs celebris cum Apollinis templo in peniſula *Leucadia*, ex qua perfoſſo iſthmo, inſula facta, ponte tamen continenti juncta. Hodie *S. Mauræ* nomine clara inſula eſt, ejuſque oppidum, ſed remotum a Leucadis ruinis, S. Mauræ Fanum appellatur. In eadem Leucadia promontorium *Leucate*. Poſt ortum verſus & prope Acheloi oſtium, *Alyſia* ſive *Alyzia*. In mediterraneis *Aſtacus* & *Stratus*, maxima olim Acarnaniæ urbs, ſed poſtea, ut videtur, Ætolici juris: *Tyrrhæum* ſive *Thyrium*; & *Medion*, cujus nominis & aliæ ſunt in Bœotia atque Phocide. *Limnæa* ad Ambracium Sinum: etiam *Heraclea* quædam in his oris, item *Naſus*, & ad Acheloum *Oeniadæ*.

AMPHILOCHIAM alii Acarnaniæ adjungunt; alii diſtinctam ab ea regionem conſtituunt. Caput gentis *Argos Amphilochicum* urbs nobiliſſima, haud longe a ſinu Ambracio remota, quæ modo Acarnanum ditionis, modo Ætolorum fuit, prout hi vel illi potentia prævaluerunt. Reliquæ autem Acarnaniæ Amphilochia a ſeptentrionibus objecta fecit.

CAPUT XIII.

DE GRÆCIA PROPRIA.

QUIDQUID ſupereſt, poſtquam quæ regii juris erant, hoc eſt, Macedonum & Æacidarum ſeparavimus; Græcis proprie dictis vindicamus, quorum & Theſſalia olim fuerat, ſed quod citius in poteſtatem venit Macedonum, & confuſos cum Macedonia limites habet, una cum illa Ptolemæum chorographum ſecuti, expoſuimus. Partes Græciæ liberæ ſive propriæ fuerunt Ætolia, Locris, Phocis, Bœotia, Attica, Megaris: & in *Peloponeſo* Achaja propria, Elis, Meſſenia, Laconia, Arcadia, Argolis ſive Argia. Quidquid harum partium eſt, præſertim extra Peloponeſum in nomen principis populi *Achivorum* conceſſit, qui ſi ex proprio limite æſtimatur, Peloponeſiacus fuit. *Achaja* ergo, laxo vocabuli uſu, ad omnem Hellada, quæ a Thermopylis & Acheloo ad Tænarium promontorium, quod in extremo Peloponeſo eſt, extenditur, quemadmodum Romani univerſam Græciam in *Macedonicam* & *Achaicam* provincias diviſerunt.

ÆTOLIA ab Acheloo flumine ad fretum ſinus Corinthiaci patebat. Præter *Ætolos* (Αἰτωλούς) aliæ quoque

que gentes incolebant, *Curetes*, *Agræi*, *Aperantii*, *Ophionenſes*, et expulſis Curetibus, *Æoles* (Αἰολεῖς) Ætolorum communi hi nomine continebantur. ... locis circa Pleuronem: aut Ætolorum communi hi nomine ... urbes fuerunt *Olenus* (Ὤλενος) diſtincta ab ejuſdem nominis in

Auſtralis partis, et ad mare vergentis, urbes fuerunt *Olenus* ... vetus autem et diruta incertæ poſitionis: mons *Ara-* Peloponeſo civitate: *Pleuron* nova, vicina Oleno: vetus autem et diruta incertæ poſitionis: mons *Ara-* Peloponeſo civitate ... deletum, ſicut et *Ithoria*. Sed *Conope* (Κωνωπῶν) brevi ſpatio cynthus: *Pæanium* a Philippo, et Demetrii filio, deletum, ſicut et *Ithoria*. Sed *Conope* brevi ſpatio ab tunc ab Acheloo: poſt *Lyſimachia*, *Metapa*, *Thermum*, *Trichonium*, *Phætum*, et juxta *Euenon* (Εὔηνον) ab tunc ab Acheloo: poſt *Lyſimachia*, *Metapa*, *Thermum*, *Trichonium*, *Phætum*, et juxta *Euenon*; *Chalcis* prope os Eueni: et alia *Chalcis* in mediterraneis: *An-* amnem *Calydon*, princeps urbs totius Ætoliæ: *Chalcis* prope os Eueni: et alia *Chalcis* in mediterraneis: *An-* *tirrhium* promontorium, cui ultra fretum aliud, quod *Rhium* dicebatur, in Peloponneſo opponitur; et ipſum hoc fretum, quod Patras et Naupactum interfluit, *Rhium* nominatum fuit. *Naupactus* (hodie *Lepan-* *to*) in Ætolis quidem ſit, ſed ſæpe in poteſtate Locrorum, qui Ozolæ dicuntur, aut Achæorum fuit: *Ery-* *thræ* portus vel locus ad exſcenſionem commodum, Naupacto ab oriente propinquum. Ad Septentrionales Ætoliæ partes pertinuerunt *Poſidania* et *Apollonia* Livii, obſcura fortaſſe, nec ab alio memorata: item *Crocy-* *lium*, et *Callium*; mons *Corax* ad Oetam uſque procurrens. Plinius etiam Ætoliæ populos facit, qui Pindi ju- gis inſedebant, Athamanes, Tymphæos, Perrhæbos, Dolopes, quos in Epiro expoſuimus. Bellicoſi enim Ætoli erant, et vicinos ſæpe in poteſtatem redegerunt, ut modo ampliores, modo breviores videantur fines habuiſſe.

Locris ſive Locrorum regio a mari Ætoliam excipit. Trifariam autem Locri dividuntur. Qui poſt Ætolos Locri erant *Ozolæ* (Ὀζόλαι) dicebantur: qui ad Euripum Euboicum habitabant, eorum ſeptentrio- nales Epicnemidii; meridiales Opuntii ab Opunte oppido appellabantur.

Ozolarum poſt Naupactum in Ætolia memoratum, erant *Evanthia* ſive *Oeapthe*; *Eupolium* ſive *Eupalium*: *Amphiſſa*: *Chaleon* portus.

Epicnemidii Locri ab Ozolis *Parnaſſo* monte diviſi, ab altero latere Oetæos et Malienſes attingebant. *Cnemis* vel *Cnemides* (Κνημὶς, pluraliter Κνημῖδες) mons et oppidum, unde nomen his Locris natum eſt, haud longe a mari aberant. Horum et *Scarphia* fuit prope Thermopolas, et *Nicæa*; ac *Thronium* ad ſinum Malia- cum: fluvius *Bagrius*. *Alope* oppidum incelebre.

Opuntii ab his in meridiem habitarunt. Nominis origo *Opus* metropolis; *Cynus* (Κῦνος) navale gentis et emporium: oppida *Beſſa* et *Larymna*. Et tantum de Locride.

Antequam vero ad Phocidem progrediamur, Doridis veteris ſive Doriensium regionis eſt mentio facien- da, quam inter mediterraneos Ætolos et Ozolas Locros Ptolemæus mediam; Strabo παρακειμένην τῷ Παρνασσῷ conſtituit. Plinio à tergo Doridis mons *Oeta* fuit. Tetrapolin Oetæis tribuunt, ſed non eaſdem urbes enumerant. Ptolemæus *Erineus*, *Citineum*, *Boium* ſive *Bæa* (Βοιῶ) et *Lilæam*: Plinius pro Lilæa *Sperchiam* habet in extrema Theſſalia, ut vulgo cenſetur, ſive in infima ſitam Phthiotide.

Phocis proxima poſt Locros Ozolas in litore ſinus Corinthiaci. *Cirrha* prima in litore, Ozolis propin- qua, navale Delphorum: *Criſſa*, unde *Criſſæo* ſinui nomen, qui idem eſt ac Corinthiacus: *Anticirrha* ſive *An- ticyra*, in eundem verſa ſinum, & *Medeon*, Phocicus, In Mediterraneis *Delphi* oraculo nobiliſſima urbs, quæ & *Pytho* nominata fuit, *Cypariſſus*, & *Tithorea* in Parnaſſo monte, ad cujus radices fons *Caſtalius* Muſis ſa- cratus. *Daulis* in tumulo excelſo ſita: *Ambryſus*, vicina Daulidi. *Hyampolis* in anguſtiis poſita, quibus Phocis aditur ex Theſſalia & Locris Epicnemidiis: *Elatea* Phocenſium maxima: *Neon*, *Tritea*, *Parapotemii* ad Cephiſ- ſum, uti & *Aba* cum Abæi Apollinis oraculo: *Panopæa*, & fluvius *Cephiſſus*

Boeotia a Locris ad Atticæ fines et Criſſæum ſinum contra *Euripum* Euboicum deducta. A tergo O- puntios habet, et juga, quæ ab Epiro ad mare orienti objectum longo tractu procurrunt, variis nominibus, ut *Pindi* ad Epirum, *Othrus* in medio, *Oeta* ad Maliacum ſinum inſignita. Inter hunc ſinum et Oetæum ſal- tum cæteris locis imperviis una via militaris patet, quam a calidis aquis *Thermopylas* appellant, Xerxis prima clade celebratiſſimas. His ſolis ex Theſſalia in Bæotiam et reliquam Græciam tranſitur. Ad mare nobiliora oppida *Anthèdon*, *Tanagra*, *Salganea* in faucibus Euripi, *Aulis* Chalcidi Eubææ oppoſita, cui aggere aliquando juncta fuit. Proximum *Delium* fanum ac *Mycaleſſus*, et tandem *Orópus* (Ὠρωπός) in finibus Atticæ regionis. In mediterraneis *Thebæ*, non cedentes Athenis claritate, cum, *Cadmea* arce etiam *Lebadia*, ſplendida urbs, O- puntiis vicina: et nobiles victoriis, *Leuctra* Epaminondæ, *Platea* Pauſaniæ, *Coronèa* Ageſilai, *Cheronèa* Phi- lippi Amyntæ, et cunabulis Plutarchi. Inde *Acrephia*, *Theſpiæ*, *Haliartus* inter Theſpias et Plateas *Ocalèe*, et *Orchomenus* occidentalior. Ad Criſſæum ſinum *Creuſa*, Theſpienſium emporium, et *Medeon* Bæoticus, et *Siphæ*. Mons in extrema parte eſt Phocidem verſus *Helicon*, Muſarum domicilium, ad quem *Aſcra* vicus fuit Heſiodi poetæ patria: et vicinus mons *Pimpla*, itidem Muſis ſacer: ſacri etiam fontes, ſed non uno loco *Aganippe*, *Arethuſa*, *Dirce*, *Hipocrene*; poetarum carminibus nobiliſſimi: amnes *Aſopus*, *Cephiſſus*, *Iſmenus*.

Attica, quæ et *Attis* dicta, mari Argo Euboico et Megarenſi incluſa fuit. Caput *Athenæ*. Inde ma- jor civitas, artium bonarum mater; cum portubus *Piraeo* & *Phalereo*. Vicina *Munichia*, quæ etiam portum ha- buit & templum Cereris: *Decelèa* (Δεκελεία) & *Phyle*, caſtella. Megaram verſus *Eleuſis*, Cereris fano, & initiatioris ſacris, quæ inde Eleùſinia dicuntur, admodum conſpicua: orientem verſus extremo maris an- gulo, *Sunium* promontorium, & ſupra illud *Panormus* portus, poſt quem *Aſòpi* oſtium. In mediterranea parte ad utramque ripam Aſòpi agros Athenienſes poſſederunt, & quidem cis fluvium *Anaphlyſtus* erat; in ulteriore parte *Marathon*, locus Miltiadis victoria illuſtriſſimus. Inde Bœotiam verſus *Rhamnùs*, pagus forſan, attamen nobilis Amphiarai fano: & *Oenone*, *Probalinthus*, quæ una cum Marathone Τετράπολιν Atticam conſtituebant.

In Oeneide tribu *Acharnæ* δῆμος, & oppidulum. Mons *Hymettus*, mellis copia; *Pentelicus* marmore ſuo laudatus.

Megaris, Megarenſium poſſeſſio inter Atticam & iſthmum, cujus præcipua urbs *Megara*, patria Eu- clidis: deinde *Ægoſthena*, & in litore Saronici ſinus, qui inter Corinthum & Athenas eſt, *Pagæ*, ac *Niſæa* na- vale. Aliis tota Megaris pars Atticæ cenſetur.

P E L O P O N E S U S.

In Peloponneſo ab iſthmo ad Elidem Achaia propria fuit, ejuſque caput *Corinthus*, urbs nitida in iſthmo, cujus navale *Cenchrea* erant ad ſinum Sicionium, Neptuni templo & quinquennalibus ludis claræ. *Schænus* ad eundem ſinum portus in anguſtiſſima iſthmi parte, unde machinis naves per terram in ſinum Criſſæum tra- hebantur, ad quem & *Lechæum*, alius portus Corinthiorum erat. Propè Corinthum fuit lucus *Cranèum*, Dio- genis Cynici habitaculum. Poſt iſthmum ſub Criſſæo ſinu *Phlius*, *Sicyon*, *Pallene*, *Ægira*, *Ægium*, in quam urbem conventus Achaici indicti fuerunt: *Erineus* portus, *Rhium* promontorium, & oppidum: & in an- gulo ad Elidem reflexo *Patræ*, *Olenus* (Ὤλενος) Helice, & *Dyme*, quæ Achaiæ ultima, cujus ager Lariſſo flu- vio dirimitur ab Eleo, ſicut inter Sicyonium & Corinthium amnis *Nemea* interfluit. Quanquam tam Co- rinthum, quam Sicyonem, alii capita regionum propriarum conſtituant.

Elis regio, ſecundo caſu *Elidos*, ſed urbs *Elis* itidem *Elis* in genitivo format. *Cyllene* navale Eleorum: deinde *Penèi* & *Alphèi* oſtia: ſed remotior a mari, vicina tamen Eli, *Olympia*, unde Olympici ludi nominan- tur, in *Piſatide* regione. *Piſæi* autem vel ab urbe *Piſa*, quæ eadem ac Olympia, aut ex ruderibus Piſæ Olym- pia nata; vel a fonte hujus nominis, ſi urbs nuſquam fuit, appellantur. Succedit *Pylus* Eliaca & alia *Pylus* quam vulgo Neſtoris vocant, licet de ſitu ejus non conſtet, & in Arcadiam ab aliis reducatur. Tres enim Pyli in Peloponneſo fuere: ſingulæ gloriantur domo Nèſtorea. Acceſſio Elidis Tryphalia, cujus urbes Po- lybius Lib. IV. recenſet, *Samnium*, *Lepreum*, *Cypana*, & alias omnes inter Meſſaniam & Elidem ſitas.

Messenia in Peloponeſi occidentali latere poſtrema regio, in litore habuit *Cypariſſam*, *Pylum* Meſſe- niam, quam Neſtoris fuiſſe opinio eſt: *Methonem*, hodie *Modon*, & *Colonen*. In ſinu Meſſenio *Aſinen*, *Coro- nam*, *Meſſenam*, caput gentis, *Pamiſi* oſtia, *Pheras*, ſive Φαράς. In mediterraneis erant *Aliartus*, *Ithome*; *Trazen*, *Thuria*.

Laconia poſt ſinum Meſſenium, ad quem proximum *Leuctrum* erat. Sinus autem Laconicus promonto- riis *Tænario* & *Malea* incluſus, in quo *Tanarus* oppidum cum Neptuni fano: (*Gytheum* Γύθειον) navale La- cedæmoniorum. *Eurotæ* fluvii oſtium inter *Trinàſum* caſtellum, atque *Acriam*: inde *Blandina*, *Aſopus*, *Boæ*, et *Malea* (Μαλέα) promontorium. Ad flumen in Mediterraneo eſt *Thurium*, et longius remota *Sparta* ſive *Lace- dæmon*, metropolis virtute civium, non muris munita, et æmula Athenarum: *Therapne* ſive *Theramna* inter *Eu- rotam* omnem et *Taygetum* montem prope Spartam. In agro Spartano erant etiam *Helotæ* (Εἱλῶται) qui op- pidum *Helos* (τὸ Ἕλος) tenuerant, a Spartanis poſtea everſum; Helotis in perpetuam redactis ſervitutem Arge- ia vel Argolis, Græce Ἀργεία, ſupra Laconiam ad orientale Peloponeſi latus, in litore ſinus Argolici, qui ad Laconiam vergit, ſunt *Nauplia*, hodie *Napoli*; *Inachi* oſtia, *Hermione*, promontorium *Scyllæum*. Ad ſinum Saronium *Træzen*, *Epidaurus* Æſculapii templo nobilis, promontorium *Spireum*. In mediterraneis *Argos*, Argivorum metropolis, ejuſque arx *Lariſſa Myceria*, Agamemnonis regia. *Nemea* (Νέμεα Ptol.) ubi ludi cele- brantur Nemæi: *Lerna* palus Argivi et Mycenæi agri, ex Herculis laboribus, perinde atque Nemea, clara; *Cleone* oppidum.

Arcadia, paſtorum deliciæ, in meditullio Peloponeſi montoſa regio, Achaiæ, Elidis, Laconiæ, & Ar- golidis finibus incluſa. Maximus montium eſt *Cyllene*, dein *Taygetus* in Laconiæ, *Stymphalus* in Achaiæ fini- bus, unde *Stymphalia* circumjacens regio, & populi Stymphalii appellantur: præterea montes *alii Partenius* ad Argiam protenſus; *Mænalus*, *Parrhaſius*, *Tholoe* poetis celebrati: item *Olympus*, qui cum *Eva* & fluvio in- tercurrente (*Oenùs* dicitur) facit anguſtias, quibus via Spartam ferens communitur.

Urbes Strabonis ævo pleræque civilibus Græcorum bellis interciderant, aut parvas habuerunt reliquias, quo in numero ſunt *Clitor* ſive *Clitorium*, a fonte vini faſtidium inducente laudatum oppidum; *Nonacris*, *Mæ- nalaus* monti cognomine oppidum, *Pheneus*, *Heræa*, *Cynætha*, *Thoſphis*, *Telphuſſa*. *Tegea* (Τέγεα) illa tem- peſtate mediocriter conſiſtebat *Mantinèa* Epaminondæ victoria perpetuo illuſtris, quam Ptolomæus etiam *Antigoniam* vocavit. Dirutarum urbium incolæ plerique in *Megalopolin*, Polybii patriam, ſuaſore Epami- nonda, contracti ſunt *Alphèra* (Ἀλίφειρα) oppidum Megalopolitanorum. Fluvius Biphèus in duas partes Arcàdiam dividens: *Styx* aqua mortifera, inter Nonacrin & Pheneum deſtillans; contra *Cynæthenſium fons* ita ſalutaris, ut rabidi quoque canis morſum ſanaverit.

CAPUT XIV.

DE INSULIS GRÆCIAM CIRCUMJACENTIBUS.

GRÆCIAM nunc laxius explicamus, ut Epirum quoque & Macedoniam comprehendat. Inſulas enim ab Adria uſque in Aſiam perſequemur. CORCYRA, hodie *Corfu* eſt prima ex Adria Græciam circumnaviganti, ex adverſo Theſprotiæ: *Scherea* Homero et *Phaacia* dicta. Urbem habuit cognominem inſulæ, nempe *Corcyram*, & hodie *Corfu*, *Caſſiopen* cum Jovis Caſſii templo: & promontorium *Phalacrum*. In ortum adjacent duæ inſulæ *Paxi* vel *Paxa* dictæ, unde hodiernum nomen *Pachſu* eſt.

ITHACA Ulyſſis patria, & ipſa urbem habuit cognominem ὑπονήιον, ſub *Nejum* montem ſitam. Habet & alium montem *Neriton*, etiam portum non incommodum.

CEPHALENIA, hodie *Cefalonia*, Ithæcæ & Leucadi peninſulæ, poſt Inſulæ (quam in continenti tractavimus) admodum propinquæ, Homero Σάμος, dicitur etiam Ἤπειρος μηλαίνη, *nigra Epirus*. Thucydides *Tetrapolin* facit, ſive quatuor urbium, quæ ſunt *Same*, a M. Fulvio poſt quatuor menſium obſidionem capta, *Proni* Προνοι, *Palæa*, & *Cremiæ* ſive *Cranon*.

ZACYNTHUS, hodie *Zanthe*, Cephaleniæ adjacet, habens urbem cognominem.

Sunt in hoc mari multæ minores inſulæ. Præter *Ericuſas*, in quibus *Paxi* jam explicatæ, ſunt inter Corcyram et Cephaleniam; *Echinades* ſive *Echidnæ* contra *Achaloi* oſtium, quinque numero, quibus *Dulichium* vel intereſt, vel prope adjacet: *Thoæ* & *Strophades* Peloponneſo ab occaſu oppoſitæ. Poſt Laconicum ſinum ſub Malea promontorio *Cithera*, Lacedæmoniorum inſula, quæ urbem habuit ejuſdem nominis.

In Saronico ſinu AEGINA, portui Piræeo objecta, et SALAMIN, Themiſtoclis victoria Perſarumque clade in primis illuſtris. HELENE obverſa promontorio Sunio, qui Atticæ terræ ab oriente limes eſt.

EUBŒA Græcarum inſularum maxima, Bœotiæ obtenta, a qua *Euripo* freto, ſepties die ac nocte reciprocari credito, dirimitur. Scylaci Tetrapolis eſt, quod de primariis civitatibus intelligas, quæ fuerunt *Caryſtus* ex adverſo Atticæ: *Eretria* ad Euripum contra Cephiſſi ſeptentrionale oſtium: *Chalcis* ad medium Euripum, Bæotiorum Aulidi oppoſita, ad quam agger per fretum ita ductus erat, ut unius tantum navis via, eaque ponte ligneo juncta, maris curſui relinqueretur. In Septentrione *Iſtiæotis* ſive *Heſtiæa* regio urbem inclytam habuit, Diodoro Siculo laudatam, ſed ſine nomine. *Ædepſus* forſan, aut *Atalantes Neſion* fuit, ut ex his Tetrapolis nobiliorum civitatum conſtitueretur. Præter has aliæ urbes fuerunt, *Amarinthus* inter Eretriam & Caryſtum: *Geræſtus* Andrum verſus, *Pyrra*, *Oechalia*, et in ſeptentrione *Oreus*: *Neſos* Plinii, ut in manuſcriptis vocatur, an eadem ſit ac Ptolemæi Αταλάντηονησίον in medio relinquimus. Promontoriæ inſulæ, *Cenæum* Thermopylis oppoſitum: *Geræſtus* & *Caphareus* in meridie adverſum Sunio: nobiliſſimum autem *Artemiſium* ſuper Eſtiæam in ſeptentrione remotum, juxta quod perſas Græcorum claſſis Themiſtocle Duce ſuperavit. Contra Eubæam *Scyros*, contra Theſſaliam *Sciathus*: adverſus fauces ſinus Thermaici *Peparethus* & *Aloneſus*, et hic illic ignobiles aliæ.

CYCLADES, quaſi in circulo poſitæ, non eædem ab omnibus enumerantur, *Delus*, Apollinis templo, *Cintho* monte & mercatu inſignis, centrum illarum creditur. *Andrus* prima ab Eubæa et Attica, præter has *Gygarus*, *Tenus*, *Parus*, marmore dives: *Naxus*, *Siphnus*, *Seriphus* deſerta, quo ſontes Romani relegabantur: *Cythnus* & *Ceos* vel *Cos*, Simonidis patria, & aliæ.

SPORADES autem quaſi diſperſæ, et in iis *Icaria*, unde *Icarium* mare cognominatum: *Pathmus* exilium Joannis Apoſtoli: *Claros*, *Amorgus* & inſularum rotundiſſima *Melus*, hodie *Milo*. Quibus ſubjacent in meridiem novæ & Cæſarum temporibus enatæ inſulæ, *Thera* & *Theraſia*, atque inter has media poſt exorta *Automate* ſive *Hiera* & Plinii ævo *Thia* juxta eandem inſulam nata, nunc ſcopulus ſine nomine ignobilis. Quæ in ortum adjacent, cum Aſiæ litore explicabimus, cui propiores quam Græciæ exiſtunt.

CRETA hodie *Candia*, inter Ægæum & Libycum mare inſula, olim centum urbes dicitur habuiſſe. In latere occidentali *Corycus*, *Phalaſarna*, *Rhamnus* portus, *Criumetopon* promontorium: in auſtrali *Liſſus*, *Ibanicis* oppidum cum portu, *Hierapolis*, *Therapne*, *Ampelus* urbs & promontorium. Orientem reſpiciunt *Minoa* & promontoria *Samonium* & *Zephyrium*: Septentriones, *Heracleum* Gnoſiorum navale: inde in occaſum revertenti *Cythæum*, nunc *Sitia* occurrit & *Amphimalla* ſive *Pantomatrion*, nunc *Suda* in ſinu Amphimallo: *Drepanum* promontorium: *Cydon* ſive *Cydonia*, hodie *Canea*: *Dictamnum* ſive *Dictiña*. Mediterraneæ civitates *Apetra*, *Lappa*, *Eleutheræ*, *Gortyna*, *Gnoſſus* ſive *Cnoſſus*, *Lyctus*. Montes *Ida* vel *Idæus*: & *Dicta* ſive *Dictæus* aut *Dictinnæus*.

CAPUT XV.

DE THRACIA, & MOESIA.

THRACIA inter Macedoniam, Hæmum montem, mare Ægæum, Propontidem, & Pontum Euxinum ſita, ab occidente amnem Strymona olim, poſt prolatis Macedoniæ finibus *Neſſum*, ſive *Neſtum* habuit, a cujus oſtio *Abdera*, Democriti patria, urbs prima erat. poſt hanc *Maronea*, & *Hebri* fluminis oſtia, & *Ænus* oppidum, & poſt Cherſoneſi iſthmum *Pactya* ad Propontidis oram, *Macronticos*, *Biſantha*, *Neontichos*, *Perinthus*, quæ et *Heraclea* dicta; *Selymbria*, *Athyræ* oſtium, *Byzantium* ab amplificatore Conſtantino *Conſtantinopolis* poſtmodo dicta, juxta *Thracium Boſphorum* ſeu illud fretum, quod *Propontidem* cum *Euxino Ponto* conjungit. Ad oram autem Ponti *Barna* ſive *Tiberiopolis*, *Phinopolis*, *Peronticum*, *Apollonia*, Mileſiorum colonia, Apollinis templo & coloſſo ornata: *Anchialus*, urbs ultima Thraciæ ad Mæſiæ maritimæ confinium. Mediterraneæ urbes *Nicopolis* ad Neſtum, *Ulpiæ* prænomine in nummis ornata: & alia *Nicopolis* ad *Hæmum*, ab illa in ſeptentriones longius remota: inter utramque *Philippopolis* in *Odryſarum* gente, opus Philippi Macedonis, cujus antiqua nomina *Poneropolis*, *Dulopolis*, *Eumolpias*, & aliud a ſitu poſtea impoſitum, *Trimontium*, referuntur; inde in ortum reducta *Adrianopolis* ad Hebrum, prius *Uſcudama*, vel *Oreſtias* dicta: & ad eundem fluvium auſtralior *Trajanopolis*: *Plotinopolis*, *Aphrodiſias*, *Deultum* colonia veteranorum, *Flavia Pacifica* cognominata: *Ulpia Pautalia*, & *Ulpia Topirus*: & magis ſeptentrionales *Bergulæ*, *Byzia* ſive *Bizya*, *Calybe* ſive *Cabyle*.

CHERSONESUS Thraciæ, in quam coloniam Miltiades deduxit, ad Helleſpontum eſt. In iſthmo *Lyſimachia*, in loco everſæ *Cardiæ*; ad Propontidem *Crithoe*, et Ægos flumen, juxta quod victis Athenienſibus finitum fuit bellum Peloponneſiacum: Ad Helleſpontum *Callipolis*; & *Herus*, ac Leandri amoribus nota, etiam Xerxis ponte, *Seſtus*: ad auſtrinum mare *Elæus*, cum portu.

Gentes Thraciæ variis nominibus diſtinctæ. Supra Strymonem *Denſeletæ*, & *Madi*: ad ſuperiora Neſti, & *Pangæum* montem (aliis ad Hæmum) *Beſſi* cæteros feritate ſuperantes: quos Odryſe accolebant, ad Hebrum fuſi, & *Biſtonii*: ad ſeptentrionem *Odomantes*, *Hypſalti*, *Selletæ* & alii: inter Hæmum & Rhodopen *Agrianes* ſive *Agriani*. Inſulæ juxta Thraciam nobiliores ſunt THASUS, contra Neſti oſtium, marmore, quod Thaſium lapidem vocant opulenta. Longius in meridiem & Ægæum mare LEMNUS diſſidet, Macedoniæ fere æqualis, cujus oppida fuere *Myrina* & *Hephæſtia*. IMBRUS Cherſoneſo opponitur, & SAMOTHRACE religione & aſylo inclyta. Montium altiſſimus a Mæſia Thraciam jugis ſuis dividens *Æmus* ſive *Hæmus*, cujus incolæ *Hæmimontani* appellantur. Poſt hunc *Rhodope*, cujus juga Conſtantinorum temporibus peculiarem provinciam conſtituebant. Fluviorum maximus *Hebrus* eſt, in quem multi ignobiles incidunt: *Melas* huic in ortum proximus, unde ſinum Ægæi maris ad Cherſoneſum, quo hic amnis excipitur, *Melanem* ſinum appellarunt: *Arzus*, *Athyras*, & *Barymus* in propontidem effunduntur. De *Strymone*, *Neſto* ſive *Neſſo* dictum ſupra eſt.

MAESIA ab *Aureo* monte, qui prope Taurunum Pannoniæ eſt, inter *Danubium* ſive *Iſtrum*, & Hæmei juga ad pontum Euxinum longe procurrit. Diviſa fuit per *Ciabrum* amnem in *ſuperiorem*, quæ Pannoniam ſpectat; & *inferiorem*, quæ eſt orientalis, & pontum Euxinum proſpicit. Superior medio ævo nomen *Serviæ*; inferior *Bulgariæ*, a barbaris populis, qui invaſerant, accepit.

SUPERIORIS MOESIAE ad Danubium fuerunt *Sigidunum* poſt *Sendeſovia* dicta; *Tricornium*, *Viminiacum* ſive *Viminacium*, pons *Trojani* in Iſtro, mirandum opus & auctoris magnitudine dignum. A fluvio remota poſt Aureum montem *Margus*, ad quam Diocletianus Carinum vicit. *Pincum*, unde *Pincenſii*: *Procopiana Villa*, hodie *Procupie*.

Macedoniam verſus DARDANIA erat pars hujus Mæſiæ, in eaque urbes *Naiſſus*, *Ulpianum*, nunc *Pryſren*, *Scupi* caput Dardanorum, nunc *Scopia*. Supra Dardanos pars *Triballorum*, & Iſtrum tranſgreſſi *Baſtarnæ* ſive *Baſterni*: a latere Dardanorum *Scordiſci*, quos alii in Tracia ponunt, moribus & lingua cum Baſtarnis transdanubianis convenientes. Etiam *Carpi* in his oris. Flumina *Margus*, *Timachus*, *Pincus*, è Dardanis orta.

INFERIORIS MOESIAE ad Iſtrum prima urbs *Nicopolis* a Trajano Dacorum victore condita:

Novæ ſeu *Noaus Mons*, *Duroſteron*, *Axiopolis*, *Ægiſſos*. In occidua parte adverſus Thraciæ fines *Sardua* ſive *Ulpia Sardica*, Sardicenſi Concilio in cauſa Athanaſiana illuſtris, nunc, de doctiſſimorum ſententia, *Sophia* urbs Turcorum non ignobilis. *Oeſcus* ad flumen *Oeſcum*, Triballorum oppidum, qui occidentalem partem hujus Mæſiæ incoluerunt, ſicut Peucini ſive Peuceſte orientalem, quæ ad oſtia Iſtri eſt. *Getarum* etiam pars ad Pontum habitavit, parte reliqua trans Iſtrum relicta.

Maritimæ autem urbes a Thraciæ termino ad oſtia Danubii fuerunt *Meſembria*, in Thraciæ confinio, *Marcianopolis*, a Marciana Trajani ſorore nomen trahens, ad quam Gothos Claudius II. vicit: *Odeſſus* ſive *Odyſſus*, *Dionyſipolis*, nunc *Varna*: *Bizone* (Βιζώνη, *Bizos* Arriano) terræ hiatu hauſta: ſed alia eſt a Byzia Thraciæ: ſupra illam *Calatis*, Mileſiorum vel Heracleotarum colonia. *Tomi* ſive *Tomis*, Ovidii exilium: *Iſtrus* ſive *Iſtropolis* propinqua Iſtri oſtiis, quorum ſex aut plura ſunt, ex iiſque quatuor valida, minora reliqua. Flumina in Pontum cadunt, *Panyſus* ſupra Meſembriam: *Zyras* apud promontorium *Tiriſtriam*: *Naxus* ad Tomos.

Nec prætereunda eſt DACIA CISDANUBIANA, quam Aurelianus Imperator, deſperans ſervari provinciam poſſe, quæ trans Iſtrum a Trajano facta erat, medium inter utramque Mœſiam conſtituit, quæ in *Ripenſem*, hoc eſt, Iſtro proximam & Mediterraneam, ſive ad Dardanos vergentem, poſtmodo diſpenſata fuit. De utraque pluribus in medii ævi Geographia dicemus.

CAPUT XVI.

DE DACIA PROVINCIA TRAJANI.

TRAJANI Daciam tranſiſtrianam appellamus ad diſcrimen Daciæ in Mæſiæ partibus ab Aureliano, ut modo dictum eſt, conſtitutæ. Veteris hujus & propriæ Daciæ ab occidente terminus *Tibiſcus* amnis erat, nunc *Teiſſe* ſive *Jazyges Meanaſtæ*, qui ad dextram ripam Tibiſci habitarunt: ab ſeptentrionibus *Sarmatia*, & *Carpates montes*: ab ortu *Tyras* fluvius, nunc *Dnieſter*, & Danubii converſio: a meridie Danubius, ſive, ut Ponto vicinior appellatur, *Iſter*, quo a Mæſia Daci ſeparantur. Continet hodie, quidquid Hungariæ trans Tibiſcum eſt, & Tranſilvaniam, Wallachiam atque Moldaviam. Inter Tibiſcum & *Rhabonem* ſive *Mariſium* (nunc *Marocz*) fluvios, in auſtrali parte *Lizicis*: in boreali *Ulpianum*, *Napuca* ſive Napocenſis colonia, & *Paroiſſum*: medio loco *Apulum* colonia, quæ videtur *Alba Julia* eſſe, ab Antonini Pii matre Julia cognominata, nunc *VVeiſſenburg*: item *Ziridava*, *Singidava*. Inter Rhabonem & *Alutam* amnes *Canaddium* ſive *Cenadium*, nunc *Chonad*, ad Rhabonem propinquum Tibiſco, cui miſcetur: *Zeugma* ad eundem amnem: *Sarmiz Ægethuſa*, Decebali regia, poſt colonia *Ulpia Trajana*, & *Auguſta* Dacorum dicta, medio inter utrumque amnem loco, cujus magnitudo ex ruderibus apud vicum *Varbel* hodieque conſpicitur. Præfluit *Sargetia* amnis, in quo Decebalus theſauros ſuos occultaverat, *Zurobaram* interpretantur *Temeſvvar*. Magis ſeptentrionales Ptolemæi urbes *Marcodavv* & *Prætoria Auguſta*. Poſt Alutam obſcura pleraque, ut *Argidava*, *Zemizirga*, *H data*, *Neutidava*, *Tiaſum*, *Pinum*, & alia nomina a ſolo Ptolemæo memorata. Nec in citeriore Dacia illuſtrari cuncta poſſunt, & *Coloſvvariæ*, quam quidam putant *Patroviſſam* Ptolemæi eſſe, ac *Zalatymia* ſive *Zoatnæ*, & alibi inſcriptiones veteres ex ſæculo Trajani inveniuntur, nec facile tamen explicueris, quæ antiqua locorum facies fuerit. Quod enim hiſtoria rerum a Trajano geſtarum ex ſolis ſummariis haurienda, nec uberior illarum expoſitio ſupereſt; fit, ut hic quoque Geographiæ campus ſterileſcat.

Poſt Daciam *Sarmatæ* ſive *Sauromatæ* ad Euxinum Pontum, uſque Aſiæ terminos, continuantur, qui Europæ *Sc thæ* dicuntur, in varias gentes etiam ſub his ultimis Europæ oris diviſi, *Baſtarnos*, *Gelonos*, *Getas*, ac alio tempore *Alaunos*, *Roxolanos*, & quæ cætera obſcurorum populorum nomina fuerunt. Adde quæ cap. VI.

CAPUT XVII.

DE ASIA CIS TAURUM.

ASIAE univerſæ terminos in introductione expoſuimus. Diviſio vulgaris eſt in *Minorem*, & *Majorem*, qua *Natolia* ſive inter Pontum & Mediterraneum mare peninſula ab reliquis Aſiæ amplioris partibus abſcindi videtur. Verum quod nova hæc diviſio eſt, antiquæ noſtræ Geographiæ minus commodè applicatur, & aliam potius amplectimur, quæ paſſim in Romana belli Aſiatici hiſtoria occurrit. In pacificatione cum Antioco Magno nihil frequentius eſt, quam Aſiam intra Taurum & extra hunc montem diſtinguere, ſive quod idem eſt, cis Taurum, & ultra illum; Siquidem intra Taurum Antiochus regnare ab Romanis juſſus fuit, hoc eſt, provinciis abſtinere, quæ citeriores Romanis erant.

Tauro monte, *Haly* fluvio, & *Sarpedone* promontorio definitæ. Sed & alia, eaque arctior *Aſiæ* determinatio eſt, qua Romani, Attalicis poſſeſſionibus potiti, prætoriam, aut ſi juſſus belli poſtularet, conſularem provinciam ſignificarunt. Hac enim, quæ PROPRIA etiam ASIA appellatur, continebatur Myſia, major & minor Phygia, Æolia, Jonia, Lydia, Caria, ac Pergamus, niſi & hanc ſub Lydia comprehendis. Bithyni ergo, Paphlagones, Galatæ, & gentes, quæ Amyntæ paruerunt, excipiebantur, quo minus Aſiatica Romanorum provincia illi Aſiæ, quæ Romanis cis Taurum, Syris intra hunc montem erat, ex æquo reſponderet. Pamphylia ſupereſt, de qua, quod naſcentem in ſe Taurum habet, litigatum inter Antiochum & Eumenem fuit, citeriori Aſiæ, an ulteriori tribuenda eſſet. Nos terminis ſupra poſitis innixi Haly & Calycadno fluviis, tam Pamphyliam, cujus pars non exigua citra montem eſt, quam Galatiam & Bithyniam cum Paphlagonia in citeriore hac Aſia explicabimus.

BITHYNIA Pontum a tergo, Boſphorum ab occaſu, a meridie Phrygiam & Myſiam, ab ortu Paphlagoniam habuit. Ut vero hæc prima in latere Pontico provincia eſt, ita maritimæ ejus civitates fuerunt *Chalcedon* (Χαλκηδὼν) ad Thraciam Boſphorum exadverſo Byzantii, nota contra Euthychem Chriſtianorum concilio; cui *Chryſopolis* vicina: *Aſtacus* ad ſinum Propontidis: *Nicomedia* prope ſinus extremitatem caput provinciæ: *Pruſas* ad Aſtracenum vel proximum ſinum: *Apamea* poſt illum, ab uxore Pruſiæ appellata: *Daſcylium* ſive *Daſcylos*, & amnis *Rhyndacus* Bithyniæ ad Myſiam limes. In Pontico latere prima ſunt oſtia; *Calpa*, & portus ad illa: *Sangarii*, & *Hypii* oſtia; *Lycus* amnis: *Heraclea* Megarenſium colonia: *Iſylla* emporium, *Tios* (Τήιος) ſive *Tium*, Mileſiorum colonia: *Billis* ſive *Billæus* fluvius, & alius *Parthenius* terminus Bithyniæ.

Mediterraneæ partis in ſinu Aſconiæ paludis *Nicæa* fuit, ſed obſcurior, quæ prius *Olbia* erat; poſt *Antigonia*; a Lyſimacho vero ex uxoris nomine *Nicæa* appellata, Nicæna Synodo clariſſima, hodie *Iſnich*: *Libyſſa* Hannibalis fato nobilitata: *Cæſarea* inter Rhyndacum & Apameam: *Pruſa* ad fluvium Hypium: *Bithynium* (poſt *Claudiopolis* & *Hadriani*) patria Antinoi inter flumen Sangarium & Parthenium. *Juliopolis*, ante *Gordincome* & *Gordiutichos*: & *Agrippenſis* civitas, ſed *Critia* (vulgo *Cratea*) poſt *Flaviopolis* appellata fuit. *Germanicopolis*; *Helgas* barbaro nomine, aliis in Bithyniæ finibus; aliis in Iſauriæ eſt.

PAPHLAGONIA inde in Ponti Euxini litore, ad Halyn amnem pertingens, a meridie Galatarum gentem habuit. Prima poſt Parthenium amnem urbs *Amaſtris* cum portu, ab Heracleenſium tyranni uxore, fratris Danii Codomanni filia, nomen nacta: *Seſamus* munita, *Cromnas*, & Cytorum itidem portu inſtructum: inde *Corambis* ad promontorium, & *Aboni Mœnia* (Ἀβώνου τεῖχος) alio ſæculo *Jonopolis* dicta: *Cimolis* emporium: *Stephane* cum tecto portu: *Lepte* promontorium. *Armene* oppidum, finis Paphlagoniæ. *Sinope* (Σινώπη) omnium in hac ora nobiliſſima urbs Mileſiorum colonia, poſt diuturnam libertatem a Ponti Regibus oppreſſa, qui regiam in ea ſedem condiderunt: tandem ſub Romanis iterum colonia, *Halys* autem amnis Paphlagonum & Sinopenſium ad mare; intus antiqui Regni Lydorum terminus fuit.

Hæc de litorali Paphlagonia. Interiora ſunt *Maſtya* Mileſiorum opus, & *Gangra* Paphlagonum regia, Gangrenſi poſtea concilio nobilior facta. *Plegra*, *Pompejopolis*, *Andrapa*, quæ & *Neoclaudiopolis* poſt *Oglaſſyn* montem. Populi ad occidentem *Heneti*, unde Venetos Italiæ Corn. Nepos apud Plinium arceſſit: ad ortum & circa Halyn *Chalybes* populi, in quibus Sinopen & Amiſum oppida Mela ponit.

Ora Pontica uſque ad Halyn perluſtrata, quæ eidem ab Helleſponto ad eundem amnem ſubjacent, id eſt, Myſiam atque Phrygiam, & quæ huic annexa eſt, Galatiam contemplabimur.

MYSIA eſt vel *Minor* ad Helleſpontum & Propontidem; vel *Major* inter Phrygiam utramque, id eſt, majorem, & minorem interjacens, quamvis fateatur Strabo, Myſiæ Phrygiæque fines difficulter diſtingui. Alii, quidquid Myſiæ majoris eſt, ad Æoliam reducunt, quaſi extincto veteri nomine, novoque colonorum ſuperducto.

MINORIS MYSIAE ſunt *Cyzicus* ad Propontidem, mira erga Romanos fide Mithridaticam obſidionem ſuſtinens: poſt hanc *Parium ac Pœſus*: ſed *Lampſacus* ad os Helleſponti, Themiſtocli dono data ab Rege Artaxerxe: *Abydus* ad Helleſpontum Seſto oppoſita, principium pontis, quem Xerxes in Helleſponto fecerat. Mediterranea *Apollonia* ſuper Rhyndacum amnem, *Miletopolis* & *Hadrianothera* (Ἀδριανοῦ θῆραι) in venationis loco conſtitutum oppidum. Fluvii hujus Myſiæ ſunt *Æſepus* (Αἴσηπος) in ſinum cadens Cizyco propinquum: *Granicus* inter Æſepum & Lampſacum, prima Alexandri contra Perſas victoria illuſtris: *Simois* (Σιμόεις) & *Ida* mons in Phrygiæ Minoris confinio ſunt, ubi vide.

MAJORIS MYSIAE, quæ & ipſa aliis Æolia eſt, ſunt *Adramitium* ad Ægæum mare: *Trajanopolis*, medio a mari loco: remotiores *Alyda*, *Scepſis* & *Pergamus*, Attalorum regia & caput Aſiæ Pergamenæ, quam infra in Romana provincia explicabimus. Populi *Olympeni*, ſub Olympo monte, qui ad Bithyniæ fines pertingit. *Trimenothuritæ*, quorum Trajanopolis erat, & in horum medio *Myſomacedones*.

PHRYGIA amplius patet, quam Myſia, ab Heleſponto ad Halyn olim extenſa, quippe Galatia quoque pars quondam Phrygiæ fuerat. Dividitur & hæc in minorem & majorem.

MINOR PHRYGIA, etiam TROAS appellata, inter Heleſpontum, Miſiam minorem & Æolidem poſita poſt Abydum ad Helleſponti oram, *Dardanum* oppidum & promontorium Rhæteum, cum adjacente *Æanteo* ſive Ajacis ſepulcro: *Simoentis*, *Xanto* aucti, & *Scamandri* oſtia: *Sigeum* promontorium & oppidum: & ad Ægæum mare *Colonæ*, e regione Tenedi: Alexandria *Troas* cognomine: *Lectum* promontorium, & *Aſſus* oppidum. Reductior paulo a mari, inter Sigeum & *Idam* montem. *Troja* ſive *Ilium urbs* regia, cujus arx *Pergama* fuere: inter mare & ruinas Trojæ veteris, *Iliam* novum; ſupra quod *Ariſba* juxta *Percoten* (ſive *Percopen*) & Abymum. Præterea *Lyrneſſus*, *Tabe* cognomine *Hypoplacia*; *Mermeſſus* & *Lamponia* oppida erant hujus tractus, *Smintha* unde Smintheus Apollo in Æoliæ finibus.

PHRYGIAE MAJORIS parte ſeptentrionali fuere *Ancyra* Phrigiæ, *Dorilæum*, *Midæum*, *Gordiun* in Galatiæ finibus ad Sangarium amnem, nodi inſolubilis ſuperſtitione famoſum. *Synaus*, *Nacolia*, *Docimeum*, *ynnada* (plural.) marmore dives oppidum: & a tergo Sipyli montis *Eucarpia*, *Eumenia*, *Acmenia*, *Tiberiopolis*.

Auſtralis partis circa Mæandrum fluvium erant *Celænæ* ad fontes amnis, quondam caput Phrygiæ, unde cives *Apameam Cibotos* traducti ad *Marſyæ* & *Mæandri* confluentem in Piſidiæ confinio; inter utramque urbem *Philomelium*, *Silbium* & *Metropolis*: ultra Apameam in Lydiæ confinio *Hierapolis*; & ad *Lycum* amnem, antequam Mæandro miſcetur, *Laodicea* πρὸς τῷ Λύκῳ cognominata: ac propius confluentes *Coloſſæ* Apoſtoli epiſtola ſatis honoratæ; *Juliopolis*, unde *Julienſes* dicti: & Cariæ finibus *Antiochia* ſuper Mæandrum *Cibyra* item & *Mæan-*

Meandropolis, ac *Mandropolis*, ſive Mandropus; *Dionyſopolis & Diocæſarea*. Incerto ſitu Æzanus.

GALATIA Phrygiæ olim pars, & vicinarum regionum a Gallis ſedem quærentibus occupata; cui quod Græci coloni immixti erant, GALLOGRAECIA quoque appellatur, & Galatæ, *Gallogræci*. Hi ſunt vel *Tectoſages*, Paphlagonibus propinqui, quorum *Ancyra* fuit Ancyrano poſt concilio clara, & *Sebaſte* vel *Trocmi*, adverſus Cappadociam, in quibus *Tavium*, emporium & aſylum, & *Mitridatium* vel *Taliſtobogi* contra Bithyniam & Phrygiam, quorum *Peſſonus* fuit, in Phrygiæ confinio juxta Sangarium flumen, ſimulacro Matris Deum, inde Romam aſportato, illuſtris: item *Blucium* regia Dejotari, & *Pejum* gazophylacium ejuſdem. *Olympus* alius, & *Dindymus* montes in his oris.

Hæc in tergo Magnæ Phrygiæ: a fronte LYDIA fuit, MÆONIA ab amne Mæone ante appellata ad Joniam Cariamque procurrens. *Sardes* Cræſi regia ad latus montis *Tmoli*, aurifero *Pactolo* adfuſæ, qui ex Tmolo procurrens in *Hermum* alium amnem immittitur. Proxima *Magneſia* ad *Sipylum montem*, ubi Antiochus M. a Romanis victus eſt: poſt hanc *Hypæpa*, *Thyatira*, *Hierocæſarea* in Lydis Perſicis. *Philadelphia*, *Tripolis*, *Tralles*, *Leucophrys*, *Nyſa*, *Thremonotyræ*, & alia *Magneſia ſuper Mæandrum*, & *Aureliopolis*. Flexuoſo Mæandro perfunditur Lydia etiam *Cayſtro* fluvio, qui per Ioniam ad Phrygiam deferuntur, ACHAIS vel pars Lydiæ, vel ei proxima, ad quam Eumenia pertinuit, de qua in Phrygia actum fuit.

Sed hæc de Lydia propria: Lidorum autem potentia creſcente, quidquid a mari ad Halyn erat, tam Regum propriorum temporibus, quam ſub Perſarum imperio, *Lydia* appellantur, Sardiano Satrapa iiſdem gentibus imperitante, quamquam Græcæ coloniæ, ut poterant, libertatem tuebantur.

Quæ ſuperſunt ad mare uſque Ægæum, a Græcis Aſiaticis poſſidebantur, quædam a Caribus. Græci autem, qui Aſiam incolebant, triplicis generis erant *Æoles*, *Iones & Dores* ſive *Dorienſes*, unde tres regiones maritimæ fuerunt *Æolia*, *Ionia*, & in Caria *Dorias*. Reliquæ in Aſia Græcæ civitates pleræque harum coloniæ fuerunt.

ÆGLIA pars Græciæ Aſiaticæ, ex adverſo inſulæ *Lesbi* inter Myſiam & Ioniam, ſive a Cayci fluminis ore, aut paulo ſupra illud, ad Phocæam, Ioniæ extremam urbem. *Pitane* in Myſorum, aut Phrygum confinio, dein *Cayci* oſtia: *Canæ* portus & navale Æoliæ, hiberna Romanæ claſſis Syriaco bello: *Elæa* Pergamenorum regum navale.

M rina, etiam *Sebaſtopolis* auctore Plinio vocata: *Cuma* ſive *Cyme*, & vicinum *Notium*, ubi Athenienſes a Peloponneſiis navali prælio victi ſunt: & *Lariſſa* in ora ſinus Smyrnæi: intus *Ægæ* ſive *Ægeæ*. Fuit et Æloidis *Heraclea* quædam, item *Pionia*, *Temnos*, & quæ in Troade aliis *Selia*. De *Lesbo* inſula, quam vulgo partem Æoliæ faciunt, ſequenti Capite in inſulis agemus. Quidem Phocæam etiam, & veteres ipſam Smyrnum Æolidi adſcribebant: quas Plinium & Strabonem ſecuti reſervamus Joniæ.

IONIA a Smyrnæo uſque ad Jaſium ſinum patuit. Prima urbs ab Æolidis fine *Phocæa*, mater Maſſiliæ, poſtquam *Hermi* oſtium & urbs *Smyrna* mercatu nobiliſſima: *Clazomenæ*, *Er thra*, *Cyſſus* Erythræornm navale, *Theus* (Τεως) Anacreontis patria: *Orycum* promontorium, ad quod Romani Antiochi claſſem vicerunt: *Lebedus* (Λεβεδος) *Colophon* Cayſtri oſtia; Epheſus in primis urbium Aſiæ, Dianæ templo clara: *Fygela* ſive *Phygela*: *Micale* Græcorum victoria & Perſarum clade illuſtre promontorium inter Ephæſum & Samum: *Panormus*: *Panionium* locus Jonici conventus & communium ſacrorum: *Metropolis* ad Cayſtrum: & poſt Mæandri oſtia *Pyrrha & Heraclea* ſub monte *Latmo* ad ſinum Latmicum: & proprius Mæandrum *Priene* (πρῖνη) ac *Myus*, illa Biantis patria, hæc Themiſtocli, una cum Lampſaco ab Rege Perſarum data: tandem ad *Joſium* ſinum *Miletus*, cujus cives Milesii virtute & coloniis deductis cum primis celebrantur. *Poſſideum* promontorium & oppidum. Sunt qui Prienem, & Myuntem, Miletum & Latmicam Heracleam in Cariæ urbibus numerant: nos autem Strabonem & Plinium ſecuti ſumus.

CARIA Joniam a meridie excipit inter ſinus Jaſium Ceramicumque. *Jaſus* ſive *Jaſſus* (græce Ἰασσὸς) nomen dat ſinui. Inde *Bargylia & Myndus*: ac Lydiam verſus prope Mæandrum, *Aphrodiſias*, *Neapolis*, *Alabanda*, Hieracome Apollinis oraculo inſignis; *Hidrias*, quæ etiam *Chryſoaris* dicta: *Maſanorada*: *Heraclea* ad Albanum: *Apollonia*, *Bargaſa*, *Stratonice*, *Euromus*: & in meridiem vergentes *Alinda* Adæ Reginæ ſedes, Pedaſa (τὰ πηδασα) & *Hydiſſa*, inter quam & mare Joniam *Myllaſa*, vulgo *Milaſſa*. Ad Rhodium mare *Caunus* cum portu in Lyciæ confinio, & ad *Calbim* amnem *Thera & Piſtus*.

DORIS pars Cariæ in infimo ejus receſſu, a Græcis Dorienſibus occupata. Princeps urbs *Halicarnaſſus*, mauſoleo inſignis, Artemiſiæ opere: *Ceramus*, a qua nomen ſinui eſt: *Cnidus* ad promontorium ejuſdem nominis in ultimo peninſulæ. *Acanthus* quæ & *Bubaſſus* dicta: *Eutane* inter Cnidum & Ceramicum ſinum: *Loryma* portus contra Rhodum, *Creſſa* alius portus, *Eleuſa* haud procul Lorymis: *Euthene* poſitione dubia.

LYCIA in ortum objacet, contra Rhodum inſulam, a Cauno, Cariæ ultima, ad juga ultra Phaſelidem ſita. Poſt Cæunum prima in litore *Calinda*, quæ etiam *Calydna* ſive *Calymna* vocatur: Carya, *Telmeſſus* cum portu; Xanthi oſtia; *Patara*, multitudinis numero, Apollinis Pataræj oraculo illuſtris civitas: *Megiſte*, & *Phellus* portus: *Andriace* Myrenſium navale: *Limyræ* oſtia; *Olympus* urbs maritima ſub monte hujus nominis: *Phaſelis* portu triplici inſtructa, Lyciæ ad Pamphyliam terminus.

In Mediterraneis cis Xanthum fluvium in boream vergunt *Cydna*, *Symbra*, *Corydalla*; in auſtrum *Sidyma*, *Pinara* ſub Crago, *Araxa*, & ad Xanthi ripam urbs *Xanthus*, maxima urbium Lyciæ: ultra hunc amnem *Myra*: & ad *Limyram* flumen urbs *Limyra*, eique vicina *Podalia*: in ſeptentrionali CABALIA regione *Oenoanda*, *Bubon*, *Balbura*: & in Pamphyliæ confinio *Sardeſſus*.

Montes *Cragus*, ejuſque ex octo verticibus unus *Chimæra*, noctibus flagrans: *Antigracus*, & *Climax* cum mari portum faciens, æſtuum fluctu ſæpe opertum.

PAMPHYLIA inter Lyciam & Ciliciam aſperam ſita. Poſt Phaſelin in litore *Olbia & Attalia*, ab Attalo Philadelpho condita: Fluviorum oſtia *Catarractæ & Ceſtri*: etiam *Eurimedontis*, ad quem Cimon terreſtres Perſarum copias proſtravit: *Sidè* cum portu Cumæorum colonia. In mediterraneis *Aſpendus* in monte ad Eurimedonta, & *Perga*, Apoſtoli itinere nota ad Ceſtrum amnem: *Lyrneſſus & Thebe* cognominum in Troade urbium coloniæ: & dubia; ab aliis Piſidiæ adnumerata, ut *Peteniſſus* ſive *Petneliſſus*. *Taurus* mons Pamphyliam dividit, cujus extremitas promontorium *Sacrum*, aliis *Chelidonium*, Chelidoniis inſulis juxta Phaſelidem oppoſita.

PISIDIA inter Lydiam, Phrygiam, & Pamphyliam in montibus fere poſita. Urbes *Antiochia* Italci juris colonia, etiam *Cæſarea* dicta: *Oroanda*, *Tarmeſſus*, *Sagalaſſus*, *Selge*: at *Sinda & Tabæ* in finibus Phrygiæ; in Pamphyliæ ora *Comana*, *Milyæ* oppidum Phrygiæ, Lyciæ & Piſidiæ confinio, unde regio MILIAS appellatur, cujus & *Arycanda* fuit, Lyciæ vulgo adſcripta. Ab altera parte *Homonadum* genti Piſidia conterminans, cujus oppidum *Homona* (Ὅμονα) origo nominis *Homodenſium*, qui validis caſtellis præmuniti erant. *Iarlais* inter Piſidiam & Lycaoniam colonia. Etiam ISAURIA Piſidiæ ab ortu adjacet, cujus pars aquilonalis, & montana *Iſauram* ſive *Iſaurum* (Straboni τὰ Ισαυρα) habuit, qua urbe deleta, Servilius Iſaurici cognomen adſumpſit: & *Lalaſin* ſive *Laliſandam*; & alio ſæculo *Claudiopolin* ex Iſauræ forte ruinis natam. Ad mare uſque deducit Plinius, ut *Seleucia Iſauriæ*, ad quam Trajanus extinctus eſt, non alia videtur eſſe quam Tracheæ Ciliciæ *Seleucia* Calicadno fluvio adpoſita.

LYCAONIA quoque ad hoc latus trahi poteſt, ut Iſauricæ genti contermina, & in Aſiaticam juriſdictionem verſa, quippe Romani Antiocho ademptam, Eumeni ſocio Regi cum aliis cis Taurum regionibus donaverant, Caput *Iconium*, nunc *Cogni*: *Lyſtra* Apoſtoli fatis notum oppidum, *Derbe* ſedes Tyranni Antipatri Derbetis, Ciceronis amici; *Thebaſa* in Tauro.

Sic quantum fieri potuit, citeriorem Aſiam adumbravimus cujus ab ortu limites non ſatis certi ſunt, & dubiæ quædam gentes, cui nam parti debeant accenſeri. Etiam temporibus mutati fines, & alia rerum facies ſub Regibus Lydorum fuit, alia cum Attali, Nicomedes, Pylemenes, Mitridates, quiſque augendo Regno ſuo intenti eſſent. Sub Romanis iterum alia imperii forma, qui *Ponticam provinciam*, id eſt, Bithynicam, Paphlagoniæ acceſſione, & ponti Mithridatici parte auxerunt: *Aſia* vero, quam vocabant, provinciæ amplos terminos per Lydiam, Phrygiam, Æolidem, Joniam, Cariam, & Lyciam conſtituerunt. Pamphylia aliquando ſeparata provincia fuit, poſt proconſulis Ciliciæ Diœceſi adjecta, ſaltem ex parte tranſmontana, quæ ultra Taurum erat, quia citerior videtur Eumeni donata, & cum cæteris Attalorum poſſeſſionibus Aſiæ Prætori deinceps commiſſa. Galatarum tetrarchiæ, Amyntæ novum Regnum, & inde facta nova provincia, quot & quantis mutationibus obnoxia brevi temporis circuitu fuere? Dejotarus enim tetrarchiæ antea, mox totius Galatiæ dominus, amiſit rurſus tetrachiam unam ſub Cæſare. Amyntas, Dejotari ſucceſſor, Galatiam, Lycaoniam, Iſauriam, Ciliciam Aſperam, & Pamphyliæ partes poſſedit, cujus Regno Auguſtus provinciam impoſuit, dempta Tracheotide, quam Cappadoci Archelao donavit. Adeo difficile eſt ubique limites accuratè deſignare, qui non ſemper fixi fuerunt, ſed ſæpius pro imperantium libidine immutati.

CAPUT XVIII.

DE INSULIS CITERIORIS ASIÆ.

IN Propontide PROCONNESUS eſt, marmoris dives, hodie *Marmora*, unde *Mare di Marmora* Propontis appellatur. Troadi TENEDOS adverſa, Æolidi nobiliſſima LESBUS, cum clariſſimis urbibus *Mitylene*, *Methymſna*, *Pyrrha* hauſta mari; ſtudiis etiam literarum & ſapientiæ in primis inclyta. ARGINUSÆ tres parvæ inter Mitylenem & Cumam, ad quas Peloponneſios vicerunt Athenienſes. CHIOS Joniæ objecta, nunc *Scio* vini ferax & marmoris, etiam *Macris* quondam dicta, & *Pityuſa*. Alii vero diverſam a Chio MACRIN ſtatuunt Myonneſo Joniæ objacentem. DRYMUSSA obvertitur Clazomenis.

SAMUS è regione Epheſi & Mycales promontorii; cum oppido ejuſdem nominis. Ad Cariam Cos etiam CEA dicta Hippocratis patria. Supra Miletum *Pharmacuſa*, parva inſula, in qua Attalus occiſus, & circa eam Julius Cæſar, cum Rhodum iret ſtudiorum cauſa a prædonibus captus fuit. Ad Ceramicum ſinum ignobiles plures: ſed MYRTHOS, quæ *Myrtoo* mari nomen dedit, etſi a multis huc refertur, tamen ad auſtrale latus Eubœæ reducenda, & Myrtoum mare non in Aſiæ litore, ſed Strabone Duce, inter Argolidem & Cretam invenienda eſt.

CARPATHUS, Rhodiorum inſula, pariter mari nomen *Carpathici* impoſuit.

RHODUS autem non minus literarum, quam belli ac nauticæ rei ſtudiis longè clariſſima, tribus olim

urbibus habitata *Lindo*, *Camiro*, *Jalyſo*, quæ in unam *Rhodum* poſtmodo coaluerunt. Tortus coloſſi admirabilis: *Peræa* regio continentis adverſus Inſulam, vetuſtæ Rhodiorum dictionis, Romana ſocietate, Antiochi bello, inſigniter aucta. Aliæ pamphylii maris, ut *Crambuſa*, et adjacentes ſubobſcuræ ſunt.

CYPRUS denique, ut extrema, ita maxima nobiliorum Inſularum interni maris Aſiaticæ partis, contra Ciliciam Tracheam *ſita*; urbes habuit in occidentali latere *Paphum* utramque, veterem & novam, LX. ſtadiis *diſtantes*, *Vetus Paphus* religioni Veneris olim ſacra, quod ibi vel nata illa, vel mari genita, eò primum appuliſſe fingebatur. In parte auſtrali fuerunt *Carium* ſtationem habens, *Amathus*, Adonidis templo religioſa, nunc *Limiſſo*: *Malum* a Climone expugnatum, a Ptolemæo everſum civibus Paphum traductis: *Citium* Zenonis Stoici patria, morte Cimonis etiam notum: *Idalium* promontorium cum loco (Straboni *Pedalium*) unde Venus Idalia poetis: promontorio imminet collis aſper & ſublimis *Veneris* menſa. Ab ortu *Arſinoe* & *Salamis* caput Inſulæ, poſt *Conſtantia* dicta, haud procul a Famaguſtæ loco, ex illius ruderibus enata. Inde ad ſeptentriones *Carpaſia*, *Aphrodiſium*, *Cerenia* ſive *Cinyria*: *Lapethus* ſive *Lapathus* aut *Lapithus*; *Soli* ſive *Æpea*, Mediterraneæ *Trimethus* ſive *Tremitopolis*, *Chytrus* & *Tamaſſus* metallo, quod Æs Cyprium vocamus, opulenta. Dubii ſitus eſt *Cnidus* hujus Inſulæ, Veneris olim cultu clara, Ovidio piſcoſa, unde in maritimis fuiſſe conjicitur: etiam *Cythera* (τὰ Κυθηρα) Veneri ſacrum oppidum: & alia *Arſinoe*: item *Golgi*, unde Venus *Golgia*. Pleræque urbes, quæ ad mare ſitæ, portuoſæ ſunt: quatuor autem in primis celebres *Paphus*, *Amathus*, (Ἀμαθοῦς græcè) *Salamis* & *Lapethus* ſive *Lapithus*, a quibus regiones inſulæ nominantur PAPHIA, LAPITHIA, SALAMINIA, AMATHUSIA. Mons *Olympus*, Veneri Olympiæ cognomen dedit: fluvii fere ignobiles. Inſulæ parvæ ab ortu adjacent *Clides* duæ, quaſi claves; *Stiria* ad occidentem. ELEUSA ſive ELEUSSA continenti Ciliciæ propinqua, juxta Corycum, regia Archelai Tracheotidem cum Cappadocia poſſidentis; poſtea quoque Sebaſte dicta.

CAPUT XIX.

DE CILICIA, CAPPADOCIA, & PONTO.

CILICIA a Pamphylia ad Syriam intra Cyprium mare & Taurum montem protenſa dividitur in ASPERAM ſive TRACHEAM (Τραχεῖα græcè & Τραχειωτις) quæ occidentalis eſt; & CAMPESTREM, quæ orientem ſpectat.

ASPERA CILICIA poſt *Melam* fluvium, veterem Ciliciæ terminum incipit, cujus litorales urbes erant *Coraceſium* in Pamphyliæ confinio, *Sydra*, *Jotape*, *Selinus*, quæ etiam *Trajanopolis* dicta; *Antiochia ſuper Cragum*, alium a Lyciæ ejuſdem nominis monte: *Nephelis* promontorium & oppidum: Hunc tractum Selenitidem Ptolemæus vocat, eſtque aliis pars Iſauriæ maritima, ut capite ſuperiori diximus. Inde uſque Calycadni oſtia *Anemurium* urbs & promontorium; *Arſinoe*, *Celenderis*, caput *Celenderitidis*, apud Plinium regionis: *Aphrodiſias*, & poſt hanc *Calycadni* oſtium, duobus promontoriis, *Sarpedonne* (Σαρπηδόνος ἄκρα) ab occaſu: *Zephyrio* ab ortu interjectum. Hoc vel flumen, vel promontorium Sarpedon Romani Imperii terminus in pacificatione cum Antiocho conſtitutum eſt.

Mediterraneæ *Nagidus*, Samiorum colonia, *Philadelphia*, Cybra minor, ad majoris in Phrygia diſcrimen; & *Seleucia* ad Calycadnum, Tracheotis cognomine, quæ etiam Iſauriæ dicitur, morte Trajani, ſecundum quoſdam auctores, & concilio Chriſtiano, ſed alius ſæculi, cum primis clara. In montanis borealibus *Olbus* ſive *Olbaſa*, Jovis templo & principali Sacerdotio nobilitata.

CILICIÆ PROPRIÆ ſive CAMPESTRIS maritimæ fuere *Corycus*, eodem nomine promontorium, oppidum, portus, & ſpecus, ab Ioniæ Coryco diverſa: & poſt *Lami* oſtia *Sola* ſive *Soli* Argivorum colonia, patrii ſermonis incurioſa, unde nomen Solæciſmo natum; ſed poſt id temporis *Pompejopolis* dicta, piratis a Pompejo in eam deductis. Supra hanc *Anchiale*, a Sardanapalo, ut fama eſt, condita; *Cydnus* amnis è Tarſo decurrens, & ulterior *Sarus* & *Pyramus*, poſt cujus oſtium *Mallus* civitas erat, unde *Mallatidis* regionis nomen: item *Ega* prope *Amanipylas*, & *Iſſus ad ſinum Iſſicum ac Pinarum* amnem & Alexandri opus *Alexandria* poſt ſinum ad *Syrias* portas. Nam tribus ſolum vel quatuor locis Cilicia montibus vallata per anguſtas vias, quas πυλας ſive portas vocant, adiri poteſt: ex Cappadocia a ſeptentrione *Ciliciis portis*; ab ortu *Amanicis* (Ἀμανίδες Straboni) & *Syriis* pilis.

Mediterraneæ partis fuere *Lamus* ad fluvium cognominem, & *Antiochia* ἡ Λαμωτιδος, *Irenopolis*, & *Tarſus* metropolis, Apoſtoli patria, quam *Cydnus* fluvius, Alexandro pene exitialis, ſecat: juxta Pyramum, è Cataonia defluentem, alia *Antiochia*, & *Moſſueſtia*, & *Adana*, nec procul inde *Anazarbus* remota, quæ etiam *Cæſarea* cognominata fuit. Inter Pyramum & *Amanum* montem, latus Ciliciæ ab ortu claudentem, *Ale* ſive *Ala*, a quo oppido *Alejicampi* appellantur: *Caſtabala* & *Epiphania*, ac prope Iſſicum ſinum *Nicopolis*, Strabone & Ptolemæo laudata, opus ut videtur, Macedonum. In ipſo Amono *Erania*, caput montis, item *Sepyra* & *Commoris* caſtella a Cicerone capta, & ad eundem montem *Eleutherocilices* omni memoria ſui juris populus, quorum oppidum Pindeniſſum operoſa obſidione Cicero expugnavit, & *Tibaranas*, vicinas horum ejuſdem audaciæ, in deditionem redegit.

CAPPADOCIA, laxo vocabuli uſu, quidquid a Cilicia ad Pontum Euxinum inter Halyn amnem, & Armeniam comprehenſum eſt, ſignificavit. Atque ſic dividitur in *Cappadociam magnam* ſive *Propriam*, quæ meridionalis eſt: & in *Cappadociam Ponticam*, quæ ſeptentrionalis, & ſimpliciter *Pontus* appellatur. Nunc diſtinctè de Propria ſive Magna agemus.

PROPRIAE CAPPADOCIAE inter Taurum & Antitaurum eſt CATAONIA, Ciliciæ vicina, cujus oppida fuerunt *Cybiſtra* Ciceronianis caſtris clara: *Tynna*, *Tirallis*, *Mopſucrene*, id eſt, Fons Mopſi; *Comana* Cappadociæ fano & Sacerdotio illuſtris, ad *arum* fluvium, inde in Ciliciam decurrentem per *Lycoſon*. Etiam *Claudiopolin* aliquam hic Ptolomæus memoravit. Supra Cataoniam in Licaoniæ latere TYANITIS regio, *Tyana* metropolis, patria famoſi Apollonii, cujus Philoſtratus vitam ſcripſit. Obſcuræ cæteræ, ut *Bazis*, *Siala*. Attingit *Argæus* mons, juxta quem *Mazaca*, vetus regia Cappadocum, poſt Tiberio Cæſarea dicta cum cognomine πρὸς τῷ Ἀργαίῳ; nec procul abfuere, *Macellum*, & *Campæ*, & *Nazianzum*, alio ævo ex Epiſcopi ſui fama nobilius. Poſt montem ab occaſu Solis GARSAURIA regio, in qua *Archelais* caput fuit, quod Halys præterfluebat, ab Archelao rege condita, poſt Claudii Cæſaris colonia, etiam *Diocæſarea*, *Salambria*, & *Nora caſtellum*, in quo Eumenes Antigoni obſidionem toleravit. Ad Armeniæ minoris confinium *Niſſa* ſive *Nyſa*, a qua Gregorio Niſſeno cognomen eſt. In hac Cappadocia fuerunt *Leucoſyri*, ſive id antiquum nomen Cappadocum fuit, ſive pars ejuſdem gentis. PONTUS, ſeu CAPPADOCIA PONTICA dividitur in tres regiones, auctore Ptolemæo; in *Pontum Gallaticum*, qui occidentalis eſt, & ad Halyn fluvium vergit: & *Pontum Cappadocium*, qui orientem ſpectat: & *Pontum Polemoniacum*, qui inter utrumque medius eſt.

IN PONTE GALATICO *Amiſus* ad Mare, Mithridatis regia, qui ei oppidum *Eupatoriam* junxit: Sed victo illo *Pompejopolis* appellata fuit, ſicut *Magnanopolis* ex alia, ſed imperfecti operis. *Eupatoria*, ad *Lyci* & *Iris* Confluentes, ab eodem Victore inſtaurata eſt; juxta Irim amnem etiam poſitæ fuerunt *Sebaſtopolis*, a Sebaſtia, quæ mox ſequetur, diſtincta: *Amaſia*, Strabonis geographi Patria, *Comana pontica*, a Comanis Cappadociis, de quibus ſupra diximus, diverſa, itidem opulento fano & principali Sacerdotio clara.

PONTI POLEMONIACI maritima *Polemonium* ab rege Polemone conditum & *Cotyorum*: Mediterraneæ *Neocæſarea*, *Sebaſtia*, hodie *Siccas*: *Ziela*, ſive *Zela*, ad quam Triarius a Mithridate, & Pharnaces a Cæſare victi ſunt. Perluitur hic tractus *Termodonte* fluvio.

PONTI CAPPADOCII fuerunt, ad mare *Ceraſus*, unde Ceraſum arborem primus in Europam Lucullus tulit: *Pharnacia*, munitum oppidum, *Hyſſiporus*, & *Trapezus*, hodie *Trebiſonde*. A mari reducta *Cocalia*, *Cordyle*, *Aſiba*. Sed *Phanarea* fertiliſſima pars Ponti. In Armeniæ confinio *Cabira* (Κάβειρα) erat, in qua Urbe Baſilicam Mitridates habuit, poſt *Diopolis* a Pompejo, & *Sebaſte* a Pythodoride, cujus pariter regia fuit, nominata.

CAPUT XX.

DE ARMENIA, & GENTIBUS inter PONTUM, ac MARE CASPIUM.

ANTEQUAM in Syriam deſcendimus, quæ Cappadociæ in ortum ac Septentrionem adjacent, expediemus. Prima eſt

ARMENIA, in minorem ac majorem Euphrate fluvio diviſa.

ARMENIA MINOR, Cappadociæ proxima, obſcuriora oppida habuit præter *Nicopolin* a Pompejo poſitam Mitridatis victore: *Satala*, & *Azam*, quibus *Cæſaream* aliquam Plinius adjunxit, quæ forſan *Neocæſarea* in Euphratis ripa eſt. In auſtrum ſubjacet MELITENE Regio ejuſdemque Urbs nominis *Melitene*, Plinio *Melita*, imminens Euphrati; & *Sinis* Colonia.

ARMENIA MAJOR ab Euphrate inter Meſopotamiam ab auſtro partem Colchidis, Iberiam, ac Albaniam a Septentrionibus, ad Mediam uſque late longeque porrigitur. Fundit fluvios Euphratem, Tigrin, & Araxem, quorum illi Perſicum ſinum petunt, hic Caſpium mare. Montibus altiſſimis cingitur, nec intus minores habet. Tauri juga ab Meſopotamia dividunt, auſtralis terminus: *Niphates* pars Tauri eſt; vel cum eo cohæret Aſſyriam verſus: *Moſchici* montes ab Iberia & Colchide ſeparant in Septentrione: *Antitaurus* ex Cappadocia procurrens ab occaſu attingit: Orientale latus *Caſpii* montes claudunt. Interiores *Paryadres*, *Gordiæi*, & alii. Montes *Ararath* etiam, in quorum jugo quodam Noæ arca ſedit, in Armenia a doctis quæruntur, & forte ad Caſpiorum juga pertinent.

Præfecturæ clariores ſunt SOPHENE ſive SOPHANENE in Convalle Tauri & Antitauri ad Euphratem ſita: aliquando rege proprio uſa, ejuſque *Carcathiocerta* metropoli & GORDIENE ſive CORDUENE poſt Tigrim fluvium ad montes *Gordyæos* & *Niphatem*, cui MARDI populi ab ortu adjacent. Urbes nobiliores *Armoſata*, ut in nummo antiquo ſcribitur, vulgo *Arſamoſata*, ad Meſopotamiæ fines, Euphrati proxima; & *Tigranocerta* in excelſo poſita, in ipſo fere Armeniæ & Aſſyriæ confinio, cujus inferiorem

partem

partem *Nicephorius* amnis præterfluebat : at in Campis juxta *Araxem* fluvium *Artaxata* , Regum Armeniorum ſedes : *Artagera* (Ἀρταγέραι) caſtellum vel munitum oppidum, ad quod Cæſar , Auguſti Nepos , inſidiosè percuſſus fuit .

Colchis Euxini ponti orientale litus occupat , a Trapezuntino ſinu ad Boſphorani Regni limitem adſcendens . Ab ortu Iberi claudunt . A variis gentibus habitata , Heniochis , Lazis , Moſchis , & propriè dictis Colchis . *Heniochi* meridiem ſpectant , *Lazi* phaſidos ripam utramque colebant ; *Moſchi* ad Moſchicos montes orientis plagam poſſederunt . Eſt enim tripartita *Moſchica* : pars Colchis , pars Iberis, pars Armenis cedit . *Colchi* autem proprii a Phaſide ad Dioſcuriadem in ſeptentriones habitarunt . Montes *Pariadra* , qui ſupra Cappadociam ad Euphratis fluxum incipiunt ; *Moſchici* , de quibus jam diximus ; *Caucaſus* de quo in Iberia dicemus . Flumina *Abſarum* cum Caſtello cognomine Trapezunti propinquum : *Ciſia* , unde auſtralem partem Ptolemæus denominat : *Phaſis* , ex ea Moſchicæ regionis parte , quam Armeni obtinent , per Colchidem in pontum decurrens ; *Cyaneus* & *Hippus* amnes magis Septentrionales .

Urbes Colchicæ & Ciſſicæ pleræque ſuper ponticum mare . *Pityus* (Ptolemæus corrupte *Opius* MS. Pitiuſa) prima a ſinu Trapezuntino : *Rhizus* portus ; & poſt *Ciſſa* & *Abſari* , ſive *Apſorri* oſtia , *Sebaſtopolis* Caſtellum , finis Ciſsorum regionis .

Colchis propria hic incipit , ejuſque *Phaſis* perampla Urbs ad oſtium *Phaſidis* navigabilis amnis , Mileſiorum Colonia , aureo vellere , quod inde Argonautæ abſtulerunt , & Æetæ regia , & Dianæ Phaſianæ templo perquam inſignis , nec minus nobile emporium ; & ſupra *Chariſtis Cyanei* , & *Hippi* oſtia *Dioſcurias* , itidem Mileſiorum Colonia , mercatu dives , etiam *Sebaſtopolis* dicta , in qua Colchicam oram finit Ptolemæus . Mediterranea Colchorum obſcuriora ſunt .

Supra Colchidem SARMATIA Aſiatica variis gentibus , ſed maxime barbaris habitata , quibus etiam Colchicæ ad litus ponti immixtæ ſunt , ut *Heniochi* atque *Coraxi* ; poſt quos *Sindicæ* gentes & *Cercetæ* , uſque ad *Boſphorum cimmerium* , ſive illud fretum ſit , quod Mæotin paludem cum Ponto conjungit . Nec fretum ſolum , ſed etiam adjacens regio BOSPHORUS dicebatur , & qui regulis ejus parebant , BOSPHORANI .

Caput horum *Phanagoria* , emporium freto adpoſitum , cui in Europæ littore Panticapæum reſpondet . Poſt hoc *Cimmerium* ultimo in oſtio Oppidum , & Promontorium hujus nominis ad Mæotin . In ponto autem proxima Boſphoro *Hermonaſſa* , *Sinda* cum portu , *Bata* cum portu , & poſt Cercetarum oram *Oenanthia* , & propinquior Dioſcuriadi *Pytius* alia , Straboni magna , quæ videtur Ptolomæi Καρτερόντειχος eſse , hodie S. Sophia in hoc tractu eſt , quam alii Oenanthiæ , alii Pityuntis loco poſitam opinantur .

IBERIA inter Colchidem & Albaniam media , montibus undique cincta , a tergo *Caucaſum* , a meridie Armeniam habet . Non intratur niſi per anguſtias & ex Colchide quidem ubi *Phaſis* inter montes decurrit : ex Nomadum Scytharum Septentrionali regione iis faucibus , per quas Aragus fluvius elabitur : ab Albania exciſis Saxis via facta : ab Armenia tandem anguſtiæ ſunt ad fluvios Cyrum & Aragum , qui , antequam confluant , Urbes habent munitas ſaxis impoſitas ad XVI. Stadia inter ſe diſtantes . Cyro *Harmozica* imminet , Arago *Seumara* , quibus aditibus primum Pompeius , deinde Canidius , aliique Romani uſi ſunt . Quæ anguſtiæ in Sarmatas tendunt ac Septentrionem , famoſæ ſunt veterum *Caucaſiæ Portæ* . Oppida Iberiæ *Harmaſtin* & *Neorin* Plinius ponit : Ptolemæus obſcura nomina adfert .

ALBANIA Iberiæ ab oriente adpoſita , Hyrcanum mare ſupra Mediam contingit . *Alazon* amnis inter Albanos & Iberos dividitur ; a meridie Armenia ſubjacet , & Media Atropatena , infra Cyri oſtia Flumina habet ex Caucaſiis montibas orta *Saonam* terminum ab oriente *Gerrhum* , *Caſium* , *Albanum* , *Cyrum* : omnia in Caſpium mare evolvuntur , *Alazon* in Cyrum ; ex oppidis ſolam *Cabalacam* Plinius laudat : Ptolemæus multa nominat , ſed obſcura . Albanam , unde nomen poteſt eſse , inter Albanum & Cæſium fluvios in littore ponit Caſpiæ hic portæ ſunt ex Albania , in Mediam Atropatenam anguſtus inter montes & mare tranſitus , eo fere loco , quo nunc *Derben* , Urbs Sophorum regni non ignobilis , ſita eſt . Qui vero Alexandri expeditionem ſcripſerunt ; eas in magna Media , eaque extrema , Parthiam verſus collocant .

CAPUT XXI.

DE SYRIA & ARABIA.

SYRIA quinque majores Provincias habet , Comagenem , Celeucidem , Cœleſyriam , Phœniciam & Paleſtinam : minores ſunt Chalcidene , Palmirene , Abilene , Chalybonitis , Apamene , Cyrrheſtica , ſingulæ ab urbibus denominatæ , quæ fere omnes ſub Cœleſyria comprehendi poſſunt , ſicut Pieria & Caſiotis ſub Seleucide ſive Antiochena . Plures diviſiones in Paleſtina dabimus .

COMAGENE Amano monte & Euphrate circumſcripta , reges proprios ad Veſpaſianum uſque habuit , poſtquam reliqua Syria per Pompejum in Provinciæ Romanæ formam redacta fuerat . Caput regni *Samoſata* ad Euphratem , *Flavia* cognomen in nummis præferens , Luciani & [illegible] Pauli Samoſateni patria : ad radices Amani *Germanicia* , patria Neſtorii itidem hæretici : & ſupra hanc Antiochia πρὸς Ταύρῳ , ad *Taurum* cognominata , *Pylæ* ſeu *Portæ* , Amanicæ & Syriæ , huc pertinent , quibus in Syriam itur ex Cilicia . *Euphrateſia* ſive *Euphratenſis* nomen ex medii ævi Geographia eſt , ubi ejus oppida recenſebimus .

SELEUCIS ſive ANTIOCHENE monte *Pierio* a Comagene , cui in meridiem ad mare ſubjacet , diviſa , montanis Libani a Cœleſyria , quæ ad ortum ſita eſt , ſeparatur . Metropoles duæ , *Seleucia* , *Pieria* cognomine , quia in PIERIA regione , ideſt , ſub monte *Pierio* , ad mare poſita eſt , prima poſt ſinum Iſſicum nobilior Urbs : & *Antiochia* ad *Orontem* fluvium prope oſtia , quæ etiam *Epidaphenes* cognominantur , quia Daphene aquarum & nemorum voluptate amoeniſſimus , ſed quodammodo eadem de cauſa infamis locus , quaſi ſuburbium hujus Antiochiæ fuit . Seleucus Nicator utramque condidit , & iſtam ſuo , hanc patris nomine inſignivit : Daphenes amœnitatem Pompejus auxit . Proxima hic *Laodicea* ad mare , cujus Cives Λαοδικεῖς οἱ πρὸς θαλάσσαν dicti , ut a cæteris Civitatibus hujus nominis diſcernantur ; urbs nobilis & italici juris : & *Heraclea* Pieriæ . Infra Antiochiam *Caſius* mons eſt tantæ altitudinis , ut quarta noctis vigilia ſolem ex eo conſpici creditum fuerit . Regio inde CASIOTIS appellatur , cui præter Antiochiam & Daphenem ex mediterraneis Ptolomæus *Lariſſam Epiphaneam* ad orontem , *Rephanem* ſive *Raphanam* , *Marathum* & *Marianam* attribuit , quæ , quod longius a monte abſunt , ab aliis Cœleſyriæ adjudicantur . Ad Antiochiam revertimur , cui *Imma* ſive *Immæ* propinquæ erant , ad quas Aurelianus Zenobiam ſuperavit : *Roſus* oppidum inter Seleuciam & Iſſicum ſinum : *Gabala* Laodiceæ vicina , Pieriæ in ortum CHALYBONITIS adjecta , cui Chalybon , urbs ſub Pierio poſita, nomen dedit .

COELESYRIA , quaſi *Cava* & inter editiſſimos montes Libanum & Antilibanum depreſsa , non eoſdem apud omnes ſcriptores limites habet . Nos , pro inſtituto diviſionis noſtræ , partes ei laxiores damus . CHALCIDENE in Septentrione , cujus *Chalcis* præcipua urbs , ſecunda *Maronias* , obſcuræ cœteræ . In CYRRHESTICA , contermina Chalcidenæ , oppida ſunt *Cyrrhus* , etiam *Cyrus* dicta : *Berrhæa* , nunc Aleppo nobiliſſimum emporium : *Heraclea* , *Hierapolis* , antea *Bambyce* : *Thæna* , et *Paphara* . In ortum hinc PALMYRENE vergit , inter Cyrrheſticam et Euphratem ſita *Palmyra* urbs inclyta , caput aliquando orientis , cum Gallienus imperium negligeret : *Reſapha* , *Oriza* , *Adada* , et ad Euphratem *Sura* , quibus ad eumdem fluvium *Zeugma* , trajectu et ponte nobile oppidum , ſed magis boreale , adnumerari poteſt . APAMENE ad orontem , ſed fontibus , quam oſtio , propinquiorem , habuit , Apameam et Emeſam , Heliogabali dei templo nobilem , etiam altero Aureliani contra Zenobiam prœlio . *Lariſſa* et *Epiphanea* mediæ , hic potius , quam in Caſiotide cum Ptolemæo , ſcribendæ ſunt . Alia Epiphanea ad Euphratem . Sequuntur urbes a Libano , cui appoſitæ ſunt , cognomen adeptæ *Laodicea* et *Eliopolis* : et ABILENE regio , cujus *Abila* , Ptolemæo auctore Ἐπικληθεῖσα Λυσανίου , urbs primaria fuit , et Tetrarchæ ſedes . DAMASCENE in meridiem tendit , antiquiſſima urbe Damaſco inſignis : et Decapolis , cujus oppida in Galilæa et Peræa recenſebimus . Sunt et alia Cœleſyriæ oppida , ut *Philotera* , *Philadelphia* , *Camus* , quæ certæ regioni non adſcripta nominaſse jam ſufficiat .

PHOENICIA ſubjacet Antiochenæ in auſtrum ; Cavæ Syriæ , in occaſum . Maritimæ Civitates *Orthoſia* juxta Ἐλεύθερον , *Aradus* in inſula continenti juncta : *Tripolis* condita ex trium urbium convenis , Tyriis , Sidoniis , Aradiis : *Botrys* , *Byblus* , *Berytus* , Colonia *Felix Julia* ; *Sidon* et *Tyrus* commerciis clariſſimæ Civitates , inter quas *Sarepta* ponitur oppidulum . *Ptolemais* autem inde longius in auſtrum remota , et mons *Carmelus* , oppidum *Porphyreum* . Eſt etiam Phœnicia mediterranea , ſed ſine claris oppidis , niſi *Baſyra* , et cum Ptolemæo *Palæobiblus* , *Gabala* , et *Cæſarea Paneas* ad illam referantur .

PALÆSTINA ſive CANAAN , terra Iſraelitis a Deo deſtinata , ſubdividitur in *Galilaam* , quæ Septentrionalis eſt , Phœniciæ et Cavæ Syriæ finitima : *Samaritanam* , medio loco ſitam , inter Jordanem et magnum mare : et *Judaam* , quæ in meridiem vergit Ægypto collimitanea . His *Peroca* , *Trachonitis* , et *Ituraa* , trans Jordanem Orientales partes , aut Aquilonales , adjungi poſtulant ; et Idumea ac Philiſtæa , quarum illa auſtralior Judæa eſt , hæc ab occaſu ſive mari oppoſita .

Antequam vero ipſam Paleſtinam explicamus , DECAPOLITANÆ regionis mentio inferenda eſt , quæ a numero oppidorum nominatur , in quo non omnes eadem obſervant . Pars illarum Cœleſyriæ vulgo adſcribitur , pars in finibus eſt terræ Iſraeliticæ . Sunt autem ethnici juris Civitates , ab Judæorum ritibus , quamvis in illorum finibus erant , alienatæ . Plinius *Damaſcum* , *Raphanam* , *Philadelphiam* , in Syria modo nominatas , in hoc numero ponit : Præterea *Scythopolin* , *Gadaram* , *Hipponem* , *Dionem* , *Pellam* , *Geraſam* , *Canatam* . Sunt qui pro aliqua obſcurarum Cæſaream Philippi , nobiliorem ; aut *Capher Zamach* , vel alias æque ignobiles ſubſtituunt . Nos in ſua quamque regione memoraturi ſumus , ſicut de iis , quæ ad Syriam referuntur , fecimus .

GALILAEA Joſepho duplex eſt , ἡ ἄνω , *ſuperior* & ἡ κάτω , *inferior* . SUPERIOR Septentrionalis eſt , & Phœniciæ vicina : continens illam Canaanis partem , quæ *Galilæa gentium* vocatur , & terram *Chabul* , a Salomone Tyrorum Regi conceſſam , & , quæ ab Evangeliſta memorantur , *Tyri* , *ac Sidonis ὅρια* . Ipſe fons Jordanis *Paneas* ſive *Panius* huc pertinet , juxta quem Cæſarea Philippi Tetrarchæ poſita , cognomen,

præter Conditoris, etiam *Paneadis* habuit, aut, ſicut in numero eſt ὑπὸ Πανείῳ, ſub *Paneo* monte. Flumen *Jordanis* enim cum fontibus ſuos facit terminus Galilææ, ab oriente eſt, ſicut ab occaſu mare magnum, quamquam maritima utrumque in Phœnicum, Tyriorum maxime, poteſtate fuerunt. Latitudo autem ſuperioris Galilææ a Tyriorum agro ad *Berſaben* fuit. Quam Joſephus mediam utramque Galilæam conſtituit Jordanis, a fronte ad lacum *Samochoniticm* ἐλάσσων *parvus* dictus; a lacu auctior prodiens ad alium, cui *Geneſara* vel *Geneſareth* nomen eſt, recto curſu defertur.

Oppida ſuperioris *Galilææ Dan* terminus Palæſtinæ ad Septentrionem, quæ vel ipſa *Paneas* eſt: poſt *Cæſarea* dicta, ut Hieronymo videtur; vel prope eamdem poſita. *Hazor* in Galilæa gentium ſupra lacum Samochonitiden: *Riblah*, juxta os illius lacus, ex Tabularum poſitione, niſi cum Hieronymo velis Antiochiam interpretari: Gaba civitas Equeſtris (πόλις ἱππέων) dicta, quod emeritos equeſtris militiæ in eam Colonos Herodes duxit: & maritima *Chezib* ſive *Achzib* aut *Ecdippa*, Phæniciæ alias adſcripta, ſicut etiam *Acco* ſive *Ace*, quæ illi in Auſtrum ſubjacet, poſt *Ptolemais* dicta, & colonia facta Claudii Cæſaris. Præterea ab Joſepho munitæ *Petra Achabarorum*, *Seph*, *Jannith* & *Mero*. Montes *Hermon* & *Amana*, ac inter Ptolemaidem & Ecdippam *Scala* Tyriorum, Talmudicis *Sullama Dezor*.

GALILAEA INFERIOR a Berſabe, quam itidem Joſephus munivit, *Scytopolin* uſque inter Mediterraneum mare & lacum Geneſareth patebat, quanquam quæ ad mare magnum ſunt, Phæniciæ a quibuſdam, ut in ſuperiore etiam factum eſt, attribuuntur. Tribus in ſuperiore potiſſimum erant Dan & Aſer cum parte Naphthali: cujus reliqua pars Iſſachar & Zabulon in inferiore habitarunt. Oppida inferioris Galilææ, & quidem prope lacum, qui olim *Ginereth*, poſt *Geneſareth*, item *mare Galilææ*, & tandem *Mare Tiberiadis* vocabatur, erant *Japha*, *Jototapa*, *Tarichæa*, *Capernaum*, ac *Tiberias*, olim *Rakkab*, ab Herode Tetrarcha in Tiberii honorem ornata, Academiæ poſtmodum judaicæ domicilium; & ad auſtrum terminus Galilææ *Scythopolis*, olim *Bethſchan*, ſola Ciſjordana ex Decapoli, ripæ citeriori oppoſita, quanquam ager & Territorium trans fluvium fuit; *Ghammath Tiberiadis*, quaſi *Thermæ Tiberienſes*, inter Scytopolin & lacum ad eandem ripam, etiam *Emmaus* dicta: Mediterraneæ *Cana*, *Zipporis* munita, aliquando etiam ſedes Academiæ: *Nazareth*, altera patria Servatoris, poſt montem *Thabor* (Ἰταβύριον Joſepho, qui eumdem munivit) & *Naim* ſive *Nain*: *Arbela* inter Zipporim, & Tiberiada. Incertioris ſitus *Chorazin*, ſed potius in Galilæa fortaſſe, quam in Peraca, quærenda: item *Salamis*, *Tereccho* oppida ab Joſepho munita, & *Parabus*. Occidentalem oram *Carmeli* juga tenent, in quibus & oppidum fuit, & oraculum Carmeli Dei, quod Veſpaſianus conſuluit. In mare prominet, unde promontorium quoque dicitur: ab auſtro montem amnis *Kiſon* præterlabitur, & ad radices ejus è palude *Cendevia* rivus *Belus* emanat, vitri fertiles arenas litori proximo admiſcens. Sed nihil illuſtrius in maritimo hoc tractu fuit, quam Cæſarea antea *Turris Stratonis* dicta ab Herode in Auguſti honorem ſplendidiſſimè exculta, caput poſtmodum provinciæ Judææ, & ſedes Præſidis.

SAMARIA, ut regionis SAMARITIDOS nomen eſt tribui Ephraim, & dimidiæ Manaſſe habitaculum præbuit. Metropolis Samaria, monti impoſita, Regum Iſraelis ſedes, tandem ab Herode inſtaurata, & in Auguſti honorem *Sebaſte* dicta. Ante conditam ab Omri Rege Samariam, *Thirza* ſedes regia erat: at everſa per Aſſyrios Samaria, hoc eſt, ſecundi Judæorum templi temporibus *Sichem* (Σικιμα & Συχὰρ) Metropolis facta; ex incremento et ornamentis ſuis Neapolis vocata, quod nomen hodieque retinet. Proximus huic urbi mons *Garizim*, religioni ſacer, cujus templum a Sanballat extructum, ab Joanne Hyrcano Simonis filio everſum fuit. E regione mons *Ebal* opponitur, diris imprecationibus olim, ſicut *Garizin* ſive *Griſim* fauſtis precibus, deſtinatus, reliqua oppida *Michmas* in finibus tribus Ephraim et Benjamin: & *Bethoron* ſuperius, quod Salomon munivit: *Acrabata*, *Gophna*, *Thimna*, unde Toparchiarum nomina apud Plinium ſunt *Acrabathtenæ*, *Gophnitica*, *Tamnitica*. Item *Jereel* & *Taanach* Deboræ victoria non ignobile oppidum, & propius Jordanem *Ephra* Gedeonis hiſtoria & Abimelechi parricidio notum: *Alexandrium* caſtellum. *Phaſelis*, Herodis opus, honori et memoriæ fratris exædificatum: *Zartan* in ripa Jordanis, ubi aquæ ſtare cœperunt: ut Iſraelitis tranſitus pateret. *Ephron* ad montana *Ephraim*, quæ regionem a meridie claudunt, ſicut ab aquilone montes *Gilboe*, Saulis et Jonathanis cladibus infames. *Bethel* etiam, Jeroboami idololatriæ dicatum, in his oris quidam ponunt, diverſum a *Bethiel* Judææ, quod Patriarchæ inhabitarunt. Plinius addit *Gamalam*; ſed aliam fortaſſis ab illa munitiſſima, quæ in Perea ſita eſt. Maritimum tractum a *Dora*, quæ ſupra Cæſaream poſita, ad Joppen uſque deducunt, quem totum alii Phœniciæ adſcribunt; nos ſupremam partem Galilææ, cui ſitus reſpondet, reliquimus. *Megiddo* Cæſareæ propinqua, ſed a mari remotior: Antipatris autem ab Herode in patris honorem ornata, antea *Caphar*: *Salama*, Judæ Maccabæi victoria illuſtris, vel *Chabarzabe*, in littore fuit, inter Cæſaream et Joppen media: *Apollonia* inter Joppen & Antipatrida: *Saron* ſupra Joppen, non autem litoris, ſed amœniſſimi campi in Mediterranea Samaritarum vergentis.

JUDÆA a montibus Ephraim ad Ægypti et Arabiæ deſerta inter magnum mare aut Philiſtæam, et la cum *Aſphaltitidem*, quem *mortuum Mare* vocant, porrigitur. Metropolis, *Hieroſolyma*, clariſſima urbium Orientis, non Judææ modo, a Chaldæis et Romanis everſa, ab Ælio Adriano aliquantum inſtaurata, ſed ſub *Æliæ capitolinæ* nomine, procul inde Judæorum gente amota. Vicina *Bethleehem*, *Meſſiæ patria*: & *Emmaus* ſub Heliogabalo *Nicopolis* dicta: *Hierichus* cum palmeto ſuo, et balſami paradiſo: Archelais et ipſa palmarum proventu non ignobilis: *Ai* a Joſua deleta: *Bethel Luz*, Patriarcharum habitaculum: præterea *Hebron*, *Silo*, *Rama* ſive *Ramathia*, *Gabaa*, *Thecua*, *Nebo*, *Anathoth*, *Kiriath*, *Jearim*, & alia ex ſacris Hiſtoriis notiſſima oppida. *Ephraim* ſive *Ephrem*, ad finem ſolitudinis Hierichuntinæ, ſeu *Quercetana*. Occaſum ſpectabant *Bethſemes*, et poſteriori ævo *Eleutheropolis*, prope fines Philiſtææ.

Occidentalis enim & maritima ora vetus PHILISTAEA erat, Philiſtæorum, Iſraelis hoſtium, patria, tandem ab Judæis ſubacta, cujus Civitates a Septentrione in auſtrum eunti fuerunt, *Gath*, *Ekron* ſive *Accaron*, *Azotus* ſive *Aſdod*, *Aſcalon* & *Gaza* altè munita, qua theſauros Perſæ, cum Ægypto bellum inferrent, repoſuerunt.

Hæc Philiſtæorum, Pentapolis, omnes mari appoſitæ urbes, & olim præpotentes, quibus addimus & quidem in auſtrali plaga *Majumam* Cazæorum emporium, *Anthedona*, Ἀνθηδὼν recto caſu, aliquando Ἀγριππιὰς cognominata: *Raphæam* in Ægypti confinio, prælio Antiochi magni & Ptolemæi philopatoris nobilitatam. Ex boreali parte Judææ philiſtæis urbibus vicinæ ſunt *Joppe* (Ebræis *Japho*) portu inſignis, & Andromedæ fabula: *Jabne* ſive *Jamnia*; eaque gemina, portus, & reductior inde Civitas, Synedrii aliquando ſedes: & interiores *Lydda*, judæis *Lud*, poſtea *Dioſpolis* vocata: & *Bethar*, Græcis *Bitter*, Pſeudomeſſiæ, Ben *Cozbe* munimentum, ab Romanis captum deletumque: *Gezer* ſive *Gazera* poſt etiam Syrorum dialecto *Gadara*, in Samaritanæ collimitio.

Auſtralis terminus Judææ antiquitus fuit *Berſabe*, cui *Gerara* ab ortu adjacebat, ſupra *Cadesbarneæ* ſolitudinem: aut *Sichor*, ſacris literis Ægypti fluvius, ultra Rapheam, juxta *Rhinocoluram* in mare decurrens. Et hæc ad mare Ægyptium, portio fere Tribus Simeonis: ex altera parte ad Mortuum mare *Zoar* limes fuit, ſuperſtes ſola ex Pentapoli Jordanis. Nam proxima huic *Sodoma*, & ſupra eam *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim* amœniſſimorum mœnium & Camporum loco bituminoſum lacum oſtendunt, a quo Jordanis amnis abſorbetur. Medio tractu, aut potius in ortum magis ad Aſphaltidem vergente, montes *Seir* erant vetus *Edomitarum* habitatio, ſive IDUMEA, montuoſa regio, judaicæ ditionis, inde a Davidis temporibus facta. Oppida erant *Duma*, *Dedam*, *Bozra*, & *Eluſa* quondam Veneris templo clara: & alia ignobiliora. Latius poſtmodo hoc nomen repſit, et non ſolum Simeonitis, ſed omnis fere auſtralior Judæa intra Idumæam fuit.

PERAEA, transjordana Iſraelis poſſeſſio, dividitur in Peræam propriam, Bataneam, Trachonitidem, Auranitidem ſive Ituræam.

PERÆA PROPRIA, Amoritharum regio, in auſtrum vergit lacu Geneſareth, ad fluvium *Arnonem*, qui ex *Moabitide* delapſus effunditur. In lacum Aſphaltitem in extrema parte meridiem verſus, caſtella erant *Herodium* ab Herode magno extructum, ducentis ab Hiericunte ſtadiis, juxta quod etiam ſepultus fuit: et *Macherus*, Baptiſtæ vinculis & ſanguine, ut vulgo creditur, nobilius factum: & vetuſtiora Rubenitarum oppida *Emath*, *Boſra* ſive *Boſor*, *Nebo*. Nec longius videntur abfuiſſe *Salim* & *Ænon*, loca baptiſmate Joannis celebrata, ut ex hujus cum Herode familiaritate conjicitur. *Bethabara* autem & ipſa in Peræa fuit; ſed quod tranſitum notat, ad publicum aliquem Jordanis trajectum, vel Hierichuntinum, vel, ut Doctoribus viſum eſt, ad Scytiopolitanum pertinuit. Scytopolis enim, ur ſupra diximus, in Ciſjordana ſita majorem agri partem trans fluvium poſſedit. Inter utrumque, quem nominavimus, trajectum, *Adam* Civitas fuit, centrum partitionis aquarum, cum Iſrael jordanem tranſiret.

BATANÆA (antiquum Regnum *Baſan*, ſibilo cum T. Syrorum more permutato) Galilææ è regione oppoſita. Ejus ad lacum Gereſareth oppida erant *Bethſaida* (ut rectè locavit Lightfootus) poſtea *Julias* appellata: *Gamala* validè munita, ac regio Γαμαλιτικὴ circa eam: & alia Julias, ſed *Betharamphta* prius dicta, prope ſuperius Jordanis oſtium. Hæc ab Herode, illa a Philippo filio, ornatior facta, utrobique ex Auguſta familia petito nomine. Præter hæc *Magdala*, *Dalmanutha*, *Chammat*, *Gadaræ* ad oſtium fluvii inferius, quod & Chammat Tiberiadis, cis fluvium, idem aut conjunctum oppidum eſt: *Golan* autem caput *Gaulonitidis* regionis, in ſuperiorem & inferiorem diviſæ. Pleræque hæ Civitates Δεκαπόλεως erant, ut *Hippos* ad lacum, gentili nomine *Suſitha*: *Gadara* cum vicina *Gergeſſa*, & orientem verſus *Pella*, Chriſtianorum ſuffugium in obſidione Hieroſolymitana: *Dios* inter Gadaram et Pellam: & Galantidis regio pars Batanææ cum oppidis *Gilead*, *Ramoth*, *Jabes*, *Boſorra* ſive *Boſor*.

TRACHONITIS Arabibus proxima, ab oriente Bathanææ conjuncta: ab ſeptentrione *Auranitis* (Αβρανῖτις & Αὐρανῖτις) quæ eadem videtur ac ITURÆA, aut ita commiſtæ finibus, ut dividi difficulter poſſint: Philippo enim Lucas Ituræam et Trachonitidem; Joſephus Trachonitidem cum Batanæa et Auranitidem attribuit, quæ argumento ſunt, non admodum diverſas fuiſſe Ituræam et Auranitidem. Sed hæ ſine claris urbibus fuerunt, ut ſolet in Arabicis gentibus, quibus vicinæ ſunt, moribus etiam et vitæ inſtituto perſimiles. Cæſarea autem Philippi in Galilæa fuit expoſita.

ARABIA triplex eſt, Petræa, Deſerta, & Felix.

PETRAEA ARABIA ab Ægypto inter Idumæam, ſive Judæam, et Seceſſum Arabici ſinus *Etaniticum* 2, ad Deſertum uſque juxta lineam, quam Syriæ limites faciunt, extenditur. Initium auſtralis partis eſt ſinus *Hetroopolitanus* in Ægypti confinio: Septentrionalis, *Caſii*, Ægyptii montis, radices Orientales.

Conti-

Continet Deſerta loca, quibus XL annos Iſraelitæ inerraverunt, cum montibus *Sinai & Horeb* ſive *Oreb*. Variis gentibus habitata, *Canchleis*, qui quibuſdam *Amalekitæ* videntur; *Cedreis*, a *Kedar* appellatis: *Nabattæis*, quorum Metropolis *Petra Arce* eſt, unde nomen regioni impoſitum; *Midianitis*, poſt Arabicum ſinum; *Agarenis*, quos *Saracenos* alio ſæculo nominarunt, *Iſmaelitarum* poſteros: & *Moabitis* ab ortu æſtivo, ſeu ſeptentrionali: oppida ad Arabicum ſinum poſt Ægypti Heroopolin, *Phara*, unde nomen ſolitudini *Pharan* ſive *Paran* eſt, cujus partes ſunt *Cades*, *Zin*, & aliæ ex ſacris Hiſtoriis notæ: *Ælana* ſive *Elana* ſupra ſinum *Elaniticum*, Arabici ſeceſſum borealem, quod oppidum etiam *Aila & Aila* Hieronymo, & *Ailanum* Byzantio Stephano appellatur: *Eziongeber* ſive *Aſiongeber* juxta Ælanam, Solomonis et Joſaphati navale, ex quo in Indiam claſſis emiſſa. Oppida mediterranea præter Metropolim *Petram*, ſedem Nabathæorum Regum, et poſt Aretæ, a Ptolemæo ponuntur *Geruſa*, vicina Ælanae: *Moca*, *Ziza*, *Eſbuta* ſive *Eſbus*, Epiſcopalis poſt id ſedes: & alia, in finibus Deſertæ, Metropolis *Bozra*, a Trajano, ut ex nummis apparet, ornata, Philippi Imperatoris patria. Huic vicinæ erant Philippopolis ab iſto Imperatore condita, *Dia* et *Dionyſia*. Petrææ DESERTA ARABIA ab ortu adjacet, et ad Chaldæos pertingit: a Septentrione Syros habet poſt Peræam uſque *Thapſacum* Euphrati impoſitam: a meridie Arabes Felices. *Sceuitæ* in ea populi & *Nomades*, variè denominati, ſed ignobiles plerique, ut Agræi, Agubeni, Chaucabeni, Marteni et alii. *Armonitidis* 2, partis hujus Arabiæ caput, et Regis ſedes *Rabba*, a Davide expugnata. Urbem *Geraſam*, ab Ammiano laudatam, in his oris poſt Batanæam Hieronymus locat, quaſi eandem, quæ *Gargaſi* aut Geraſenorum civitas dicitur, juncta monti Galaad, et ipſe (de Hebraicis locis libro) Arabiæ urbem inſignem vocat. Sic aliam oportet hanc eſſe a Ptolemæi Geraſa. *Philadelphia* quædam non videtur longius abfuiſſe, ab eodem Ammiano in præcipuis Arabiæ numerata. Cætera obſcuriora, quæ a Ptolemæo oppida numerantur. In extrema Orientem, et Tigrim verſus parte, *Atra* ſive *Hatra*, urbs Atrenorum munitiſſima, undique Deſertis locis cincta, quam fruſtra Trajanus et Severus Romani Imperatores, oppugnarunt.

FELIX ARABIA utrique Deſertæ et Petrææ, in auſtrum ſuppoſita inter Arabicum Perſicumque ſinus. Odorifera, dives et beatæ cognomine digna, a variis inhabitata eſt populis, ſed principes illorum *Sabaei*, eorumque Metropolis *Sabba*, quæ etiam *Marab*, Græcis Μεριαβα dicta fuit, Plinio *Mariaba*, cujus Regina ad Salomonem venit ſapientiæ ſtudio excitata, pars Sabæorum *Atramitæ*, quorum caput *Sabota* ſive *Sabatha*: his in mediterraneis Minæci junguntur: & in alia gente *Siby* oppidum, græcis *Apate*, cujus *Apatæi* incolæ a fraude nominati. *Panchaja* vel ipſa Sabæorum regio eſt, vel ei propinqua, maximè enim thurifera a Poetis laudatur. Inter *Larem* fluvium & Rubrum mare alia Metropolis *Nagara* Ptolemæo, cæteris *Negra*, Arethæ martyrio et pſeudomeſſiæ ejuſdem fabulis nota. *Homeritis* populis eam Cedrenus tribuit. Alia in litore rubro oppida *Marane*, *Coralia*: & intus *Naſcus*, *Carnus & Tomala* emporium. De Mohammedanorum ſacris urbibus, *Mecca & Medina*, in medii ævi Geographia dicemus. In limine hujus Felicis Arabiæ, Ægyptum verſus, ponunt etiam *Nyſam* urbem, in cujus antro Bacchus a Nymphis fingitur educatus: quam fabulam alii ad Nyſam Indiæ reductam volunt.

CAPUT XXII.

DE MESOPOTAMIA, & CHALDEA.

MESOPOTAMIA duobus fluminibus, ut nomen indicat, ideſt, Euphrate & Tigri incluſa. A Septentrione Armenos, a meridie Chaldæos proſpicit.

Pars Septentrionalis Meſopotamiæ, et quidem Euphrati propinquior ex adverſo Commagenæ, OSROENE ſive OSDROENE ('Οσρονὴ et 'Οσδρονὴ) vocatur, præſertim a Scriptoribus ævi poſterioris; in qua Zeugmati Syriæ *Apameam* quandam Plinius & Stephanus opponunt, quam alii negant: deinde *Batnæ* erant, amœnitate commendatum oppidum inter Euphratem, & *Edeſſam*, Abgarorum regiam et caput Oſdroenes. Plinio Arabia dicitur, ab Arabica gente, quæ incolebat. Alterum vero nomen ab Oſdroe quodam regulo eſt, ſub Perſarum imperio. Ab ortu juxta Armeniæ montes ANTEMUSIA attingit, ab *Anthemuſiade* vel *Anthemunte*, munito oppido, nomen ducens. His propria MESOPOTAMIA ſubjacet, in qua *Niſibis & Singara*, orbis Romani propugnacula, modico intervallo a Tigri remota: etiam *Amida*, et intus *Eleja & Rheſaina*. Occidentali latere *Carræ* ſunt (Patriarcharum *Haran*) Macedonum colonia, prope amnem *Chaboram* Romano præſidio aliquot ſæculis defenſæ. Hanc inter urbem & Euphratem *Callinicium* ſive *Callinicopolis & Nicephorium* in vicina Euphratis Alexandri juſſu conditum, & *Maguda*, cui in oppoſita ripa objacebat *Thapſacus*, et ex ruderibus ejus enata *Amphipolis*, in Syriæ et Arabiæ confinio. *Circeſſum* autem ſive *Circeſium* caſtellum in angulo fuit, quem *Aboras* ſive *Chaboras* fluvius cum Euphrate facit, cui ibidem miſcetur. Inde in ripa Euphratis *Zaitha & Dura* ſive *Dora*, juxta quam Gordiani, ibidem interfecti, tumulus fuit: *Anatha* caſtellum ab Juliano captum & exuſtum: *Sitha*, *Megia & Zaragardia*, quæ Trajani Tribunal lapideum habuit, Juliani etiam temporibus ſuperſtes. Sciſſio Euphratis excipit, & ſuperiori alveo appoſitæ urbes *Berſabora*, *Maſazomalcha*, et aliæ, in Babiloniæ finibus. *Ur* quoque, Abrahami patriam, eruditi in Meſopotamia quærunt, quod exinde per Haram, ſive Carras in Palæſtinam iter fuit, & tali fere ſitu *Ur* caſtellum Ammianus deſcripſit. Inferiora enim Meſopotamiæ non raro Chaldææ nomen induunt, ſicut ſuperiora Babyloniæ regionis nomen Meſopotamiæ.

CHALDÆA, ſive BABYLONIA a divortio Euphratis ad ſinum Perſicum, et Deſerta Arabiæ pertingit. Euphrates enim natura & arte diviſus Meſopotamiam Septentrionali alveo præterfluit, cui *Seleucia*, Babylonia cognomine, ingens civitas et Parthorum Regni præcipua, impoſita fuit, prope confluentem utriuſque: nam etiam Migri finitimam faciunt. *Coche* prope aberat, aliis vetus Seleuciæ nomen. Etiam nobilis alveus *Naarmalca*, hoc eſt, regis fluvius, ſive foſſa, qui Chobar videtur Ezechielis eſſe, a Chobare præfecto appellatus, foſſam regiis auſpiciis ex Euphrate in Tigrin deducente. Sed alveus per *Babylonem* Orientis quondam caput & miraculum, decurrens præcipuus, et vel ſolus Euphratis nomine dignus. Judaicis etiam Scholis inſignes urbes in his alveorum ripis fuerunt *Sora* vel *Sura*, *Nebarda*, *Pombeditha*, *Scephithib*, *Kupha*: et ipſum *Paradiſum*, ejuſque quatuor flumina, in hac Euphratis, et Tigridos vicinitate, Sapientes quæſiverunt. Ab ortu *Meſene* regio, Tigridos alveo ambiente quaſi inter amnia, in qua *Apamea* cum Meſenes cognomento fuit. Hæ fere ſunt, ſi *Vologeſiam* Ptolemæi addideris, Babiloniæ ripenſis civitates, omnes circa diviſiones magnorum fluminum ſitæ, quarum principes habentur, quas modo laudavimus, *Babylon & Seleucia*.

Auſtralis pars Chaldææ obſcuriſſima, præſertim ubi ad Arabiam Deſertam pertinet. Ad Tigris oſtium Occidentale *Teredon*, hodie *Balſera* ſive *Baſſera*.

CAPUT XXIII.

DE ASSYRIA, PERSIA, MEDIA, & FINITIMIS REGIONIBUS.

QUæ cis Tigrim erant, luſtravimus: quæ inter Tigrim & Indum fluvios, hoc eſt, vetus Parthorum aut Perſarum Regnum, nunc ingrediemur.

ASSYRIA ad Tigris ripam Orientalem ſita, Armeniam a Septentrione, ab ortu Mediam, a meridie Suſianam habet. Regia & Metropolis *Ninus*, ſacris Scriptoribus *Nineve*, urbium maxima, utpote CCCCXX. ſtadiorum ambitu. Tigris eam præterfluit. Ad eundem fluvium, ſed Euphrate jam auctum, in auſtrum magis remota Cteſiphon fuit, hiberna ſedes Parthicorum Regum, ex adverſo Seleucia, a qua, ſi non alio ſpatio, tamen fluvio diſtinguebatur. In regione a Tigri recedente inter *Licum & Caprum* amnes *Gangamela*, Alexandri altero contra Perſas prælio maxime notabilis locus: & propinquo loco oppidum *Arbela*, cui, ut nobiliori, prælium jam notatum vulgo adſcribi ſolet. *Apollonia*, quæ Plinio Antiochia magis Orientalis. Omnes hi fluvii Tigridi infunduntur. Cætera oppida, quæ Ptolemæus laudat, ignobiliora ſunt. Idem in regiones diviſit Aſſyriam, quæ ſunt ARRAPACHITIS juxta Armeniam, SITACENE juxta Suſianam, in qua *Cteſiphon* fuit, princeps urbs Parthorum, & *Sittace & Acamea*: ſed nobiliſſima ADIABENE, in qua *Ninus*, *Arbela & Gangamela*, adeo ut tandem, Aſſyriæ nomine pœne abolito, omnis hic tractus *Adiabene* vocatus fuerit, unde Romani etiam Imperatores cognomenta ſibi petierunt. Ptolemæus tamen ex Arbelorum agro novam regionem *Arbelitidem*, ſicut ex Apolloniæ, *Apollonitidem* conſtituit. Adiabenis CARDUCHI connectuntur ab occaſu æſtivo, poſt GORDUENI dicti, ab Armeniæ Gordyenis parum diſtincti, quod ambigui ſitus Gorduene fuit, de qua Parthi cum Armenis Pompejo Judice litigarunt. Tigris fontibus propinquus, Gorduenam præterfluit.

MEDIA Albaniæ & Armeniæ finitima, inter Perſiam & Caſpium mare ſita, duplex ſecundum Strabonem eſt, *Magna & Atropatia*.

MEDIA ATROPATENE ad occaſum æſtivum Magnæ oppoſita, ab tergo *Mare Caſpium* habet, & *Araxem* fluvium, quo ab Armenia ſeparatur. Nomen trahit ab Atropato Duce, qui obſtitit, ne in Macedonum ea poteſtatem veniret, cujus poſteri etiam cum regio titulo ad Strabonis tempora poſſederunt. Duæ præcipuæ urbes, *Gaza* Regulorum ſedes: & *Vera*, ab Antonio in Parthica expeditione oppugnata. Populi hic ſunt CASPII, ad Armeniæ montes & mare Caſpium: & CADUSII, quorum *Cyropolis* ad mare fuit; *& Cyri* fluminis oſtium: præterea *Tigrana* (Ammiano *Patigrana*) & obſcura *Pharambara*, *Phanaſpa*.

MEDIA MAGNA, Parthiæ contigua & Perſidi, imperium uſque ad Aſtyagem tenuit. Caput & regia *Ecbatana*, opulenta urbs, qua uſi quoque ſunt Perſarum Reges æſtivo tempore, ſicut etiam poſtea Reges Parthorum. *Raga* ſive *Ragea* (in Tobiæ hiſtoria *Rages*) nomen forſan dederunt *Regianæ* Ptolemæi Satrapiæ: Nicator *Europum* nominavit, Parthi *Arſaciam*, in Parthiæ confinio: poſt *Gazaca*, *Zompis*. Prope Caſpias portas Medi *Fratitæ*, id eſt, Mercatores. Auſtralis pars in Perſidis limite PARAETACENE dicta, cujus oppida fuerunt *Parataca & Tabas*. Sed *Heracleam* etiam in his oris locant, & *Laodiceam*: de *Apamea* dicemus in Parthia. Aliæ regiones Ptolemæi ſunt *Daritis*, *Elymais*, *Sidices*.

PARTHIA olim anguſta & obſcura regio, PARTHIENE appellata: poſt defectionem a Syris vaſtum Imperium & ipſis Romanis formidabile, Mediam, Perſiam, Hircaniam, Aſſyriam, & reliquum Orientem complectens. Sed jam de propria Parthorum ſede dicendum, ſive ea regione, quæ inter Hyrcaniam & Car-

maniam incluſa eſt, Ariæ ab ortu oppoſita, Mediæ ab occaſu Solis. Metropolis & Arſacæ regia Heca-
tompylos, non procul a loco, quo hodie *Iſpaban* Perſarum regia eſt: *Apamea*, *Raphane* cognominata,
ad limites Mediæ, cui etiam a Plinio adſcribitur; & *Calliope*, ibidem Medis appoſita. *Tagæ* ad fines
Hircaniæ: *Niſæa* ſepulchris Regum clara: *Alexandropolis* a Plinio memorata. Seleucia quidem & Cteſiphon
ſæpiſſime Parthorum urbes appellantur: ſed extra Parthienen ſitæ, illa quidem trans Tigrin in Chaldeo-
rum: hæc cis eundem fluvium in Sittacene vel *Cholonitide*.

HYRCANIA Parthiæ a Septentrionibus contermina. Ab tergo Caſpium mare habet, quod heic *Hyrcanum* appellatur, uſque ad *Oxi* oſtia: ab ortu Margiana: ab occaſu Media eſt. Polybio auctore *Syrinx* Metropolis, *Tabrax* vel *Tabrace* poſt illam: *Arnos* a Curtio memoratum oppidum: Hyrcania μητρόπολις apud Ptolemæum videtur eadem, quæ Syrinx Polybii eſt, Zioberis miræ naturæ flumen a Curtio deſcribitur.

BARCANI Hyrcanis finitimi, ſed quo latere incertum.

MARGIANA ſola in hoc tractu Vitifera regio, inclytæ apricitatis, ab occaſu Hyrcaniam attingit, Arianos a meridie. *Oxus* diſterminat in Septentrione a Sogdiana: ab ortu Bactriana adjacet. Alexander in ea *Alexandriam* condiderat, qua diruta a Barbaris, Antiochus Soter *Antiochiam* ſubſtituit Margianam cognomento, quam *Margus* amnis, a quo nomen regioni eſt, interfluebat. In hanc Orodes Romanos Craſſiana clade captos deduxit. Ad fontes Margi, *Niſæa* ſive *Nigæa*. Ptolemæus heic TAPUROS, ſive *Taporos* (Ταπόρυς) & DAHAS populos ponit: Plinius addit MARDOS, quos alii in Armenia, in Media alii locarunt: DERBICES ſecat amnis *Oxus*.

BACTRIANA Marginæ ab ortu oppoſita, *Ocho*, qui in *Oxum* influit, inter utramque termino. Boreale latus *Oxus* claudit, perinde ac Marginæ: auſtrale Aria & Parapamiſus. Caput gentis Bactra, quæ eadem ac *Zariaſpe*. Eſt enim fluvius *Zariaſpis*, & gens *Zariaſpæ*, Bactrorum cives. *Alexandria* juxta Bactra, Plinio atque Stephano: Cætera oppida omnia obſcura. *Maracanda* autem, quod Ptolemæus heic ponit, cum Arriano & Curtio in Sogdiana deſcribemus.

SOGDIANA autem inter *Oxum* & *Jaxartem* fluvios, nunc *Mavvralnabra*, populo Scythis permixto habitata, regiam habuit *Maracanda*, amplam & munitam urbem, quæ videtur Tamerlanis *Samarkanda* eſſe, *Marginia* Curtii, prima poſt *Oxum*, aliis ignota, quod in cauſa eſt, cur Margianam malint recentiores legi, & reduci cis amnem. Cæteræ ſunt *Panda* Plinii, *Alexandria* Oxiana Ptolemæi, & ejuſdem *Alexandria* ἐσχάτη, ultima cognomine, ſupra quam *Cyropolis* erat ab Alexandro diruta, ſicut & *Gazæ* et oppidum *Memacenorum*. Nec *Petra* Sogdiana ſilentio prætereunda, inexpugnabilis viſa, tamen ab Alexandro capta. Etiam CHORASMIOS in hoc tractu locant, et juxta Oxum OXIANOS.

In meridiem ex Septentrione pedetentim regredimur, ubi proxima eſt

PARAPAMISUS regio, a monte *Parapamiſo* nomen adepta, quem Caucaſum Macedones vocabant, cui revera ejus juga longiſſimè procurrentia cohærere dicuntur. *Paropamiſadæ* (Ptolemæo *Paropaniſadæ*) populi, ab ortu Indos, ab occaſu Arianos attingunt: auſtrale latus Arachoſii: aquilonale Bactriani claudunt. *Alexandriam* in hac gente a Victore conditam Arrianus memoravit: cætera ſunt ignobilia.

ARIA ſive ARIANA regio, ab ortu Paropamiſadis, ab occidente Parthis, Drangis a meridie, Margianis et Bactrianis a Septentrione oppoſita. Hodie *Choraſan*. Metropolis & regia *Artacacna* ſive *Artacoana* & *Artocana*: & nova ibi condita *Alexandria* ἡ Ευαρείοις cognomine, quam Arius amnis præterfluebat: et *Artacabane* ab Antiocho iterum munita: & *Suſia* populi *Arii* & *Ariani*. quod alii diſtinguunt, uti Mela *Ariam* & *Arianen*, ſed tamquam vicinos: aut *Ariam* arctiùs limitant ex deſcriptione noſtra: *Arianam* & finitimas gentes ab Ariis ſubactas, credunt comprehendere.

In auſtrum ſubjacet DRANGIANA, obſcuris oppidis habitata, præter *Prophthaſiam* & *Ariaſpen*, unde *Ariaſpæ Evergetæ* dicuntur, vulgo *Agriaſpæ*. Orientem verſus ARACOSIA fuit, ultima ad Indiam Perſicarum Satrapiarum. Populus *Arachotæ* & *Arachoſii*, quibus Parapamiſus ab Aquilone eſt; pars *Gedroſiæ* ab auſtro. In his quoque *Alexandriam* quandam Ptolemæus ponit; Plinius *Aracoſiam* oppidum & flumen. GEDROSIA tam Drangianam, quam Arachoſiam a Septentrionibus habet: Indum fluvium ab ortu: Oceanum ab auſtro: Carmaniam ab occaſu. *Gedroſi* & *Gedruſi* incolæ: *Pura* illorum regio apud Arrianum: cætera obſcuriora *Ichthyophagi*, maximè Barbari populi, in hac & Indica maris ora ponuntur.

CARMANIA inde ſupra mare Erythræum in occaſum vergit uſque ad Perſidem, quam *Agradatus*, ſeu *Bagrada* amnis (ſic Ptolemæus vocat) a Carmania diſtinguit. Metropolis *Carmana* apud Ptolemæum, prope ſolitudines, quæ ſeptentrionalem partem occupant, ſive inter Partiam & Carmaniam interjacent. Propius a mari *Alexandria* aberat, & *Sabis* ad flumen cognomine. Circa *Anamim* ſive *Andamim*, ut alii vocant, *Harmoſia* locus, unde ad noſtrum ævum nomen hæſit inſulæ *Ormus*.

PERSIA ſive PERSIS inter Mediam & *Sinum Perſicum* poſita, ab ortu Carmaniam, ab occaſu Suſianen habet. Caput *Perſepolis* regia Perſarum. Mediæ montibus, quam mari, propior, ab Alexandro deleta, ſaltem arx ejus cremata. *Paſargadæ* ſive *Perſagadum*, Cyri opus eo loco, quo is Aſtyagem vicerat; ſepulcro ejuſdem Cyri honeſtatum, non longiſſimo a Perſepoli in ortum intervallo. *Laodicæa* extremis finibus Mediam verſus ab Antioco Nicatore condita occidentalem partem *Uxii* tenebant, in quorum montibus *Suſides*, *Pylæ* ſive *Perſides*, anguſtus ad Perſepolin aditus, qui an idem ſit ac Plinii *Climax Megale*, non definimus: ad eandem hæc urbem adſcenſu arduo ferebat, ſed qua ſubit regio ad Medos. Proximi COSSÆI, qui forſan ſunt *Cutai*. & ſupra ad Septentrionem MESOBATENE ſupra *Meſobatas*; PARAETACENE in Mediæ limitibus. Flumina *Sitacus* (*Sitiogagus* Plinio) et *Araxes*, ſed alius ab Armenio; Arriano *Aroſes*, Ptolemæo *Rogomanes*, qui *Medum* amnem defert, Perſepolin præterfluens, circa Paſargadas, *Cyrus* amnis ab Rege pro Agradato nominatus.

ELYMAIS pars Perſidis, ſive inter Perſidem & Suſianam, *Elam* Hebræis, unde *Elamitæ* ſunt ſacris Scriptoribus. Elymaidem *Oroatis* amnis a Perſide diſterminat: a Suſiana *Eulæus*. *Elymæos* quoque in maritimo tractu, æque ac Plinius, Ptolemæus locat, ſed in auſtrali Media idem ponit *Elymaidem*, quæ cum maritima vix conciliatur, niſi longo, ſed anguſtiori tractu Elymaidem inter Suſios & Perſas procurriſſe credideris. Inter Mediam alii & Meſopotamiam ponunt. Urbs *Elymaitis* ad Eulæam, Dianæ templo inclyta: Plinius addit *Seleuſiam* quandam, & *Soſtraten*.

SUSIANA, ut a Perſide diſtincta provincia eſt, Occidentalem partem tenuit uſque ad Tigrin fluvium: a Septentrione Aſſyria objacebat, a meridie ſinus Perſicus. *Suſa* Metropolis, vetus Perſarum regia, quam *Choaſpes* præterfluit, Herodoto auctore, cujus ſola aqua Perſarum Reges, quoquo etiam profecti erant, utebantur: Plinio *Eulæus* arcem Suſiorum circuit, unde multis idem fluvius ſunt Eulæus & Choaſpes; Tigris ex alveis ſuis in unum collectus, & aliis ex Suſia fluminibus auctus, è quibus etiam *Gyndes* videtur eſſe; *Paſitigris* appellatur. Sed & alius *Paſitigris* in Uxiorum Montibus ortus, inter Suſæ & Uxiorum regionem, quæ in limite Perſidis eſt, decurrens, leni tractu aquarum Perſico mari ſe inſinuat. Flumen *Granis* modicarum navium capax, etiam Suſianen perluit. CHARACE ſive *Characene* pars Suſiæ maritima, cui *Charax*, inter Tigrin & Eulæum prope Arabiæ Felicis confinia oppidum, nomen dedit, Perſici ſinus intimum, *Alexandria* a Conditore, & poſtquam flumina deleverant, Antiochia ab Inſtauratore nominatum; tandem a finitimorum Arabum Rege oppoſitis molibus reſtitutum Χάραξ Πασινῦ (hoc nomen Regis erat) quaſi *Vallum Paſeni* Ptolemæo appellatur. Patria fuit Dionyſii Periegetæ, qui inde Alexandrinus vocatur Plinio, ſed a Characena Alexandria.

Sic quæ inter Tigrin & Indi oſtia ſunt, ſingula perluſtravimus. De mari inter os Perſici ſinus, atque Indum intercepto monemus, *Erythræum* ſive *Rubrum* appellari non a colore ſingulari, qui nullus; ſed a Regis Erythræ nomine, qui maritimæ huic oræ imperavit, & ſepulcrum in vicina Inſula, cui vel *Ogyris* vel *Oaracta* nomen fuit, dicitur habuiſſe. Cæteræ Inſulæ tam hujus maris, quam Perſici ſinus, ut ignobiles, prætermittuntur.

CAPUT XXIV.

DE INDIA, & SCYTHIA ASIATICA.

STERILIS in hac parte antiqua Geographia, quod veteribus ignotæ fere hæ ultimæ regiones erant, præter ea, quæ Macedones in citeriore India luſtraverunt. Dividitur autem India per *Gangem* fluvium in duas partes, quarum alia *intra* Gangem eſt, alia *extra* hunc maximum amnem.

INDIA INTRA GANGEM a meridie & ad mare duobus fluviis *Indo* & *Gange* continetur: a Septentrione latior eſt, & Indi ripam tranſcendit ad Parapamiſum uſque & Arachoſiam. In Parapamiſiadarum confinio CAPISSENE, quæ urbem habuit *Capiſſam*, quam diruit Cyrus. BUBACENE etiam in his limitibus fuit, quam Alexander Indiam ingreſſurus, per Polypercontem ſubegit. Ipſe rex autem ex Bactriana profectus *Nicæam* primum venit, inde ad amnem *Cophenem* (Κωφὴν & Κωφης) poſt quem mons *Meros* eſt, ad cujus radices *Nyſa* urbs ſita fuit a Boccho, ut credebatur, condita, ſupra quam regio erat, quæ *Dædala* vocabatur. *Coaſpes* alius amnis in Cophena influit, & ante hunc *Choes* etſi *Choes* Arriani & *Coaſpes* Curtii, idem aliis videntur. ASSACENI adjacebant, quorum caput & regia erat *Maſſaca* ſive *Mazaga* aut *Maſoga*. Inde progreſſus rex urbem *Oram* cepit, & petram *Aornon*, ab Hercule fruſtra obſeſſam, cujus radices Indus amnis ſubit. In occaſum hibernum, juxta *Cophena*, antequam Indo infunditur, *Ecbolima* ſita erant, itidem ab Alexandro in ditionem redacta. Circa Indi fontes PEUCELAOTIS regio, cujus urbem *Peucelam* Hephæſtio, dux Alexandri, expugnavit. Vicini *Aſpii*, *Thyræi*, *Arſæi* populi. Inter *Indum* & *Hydaſpen* fluvium *Taxila* fuerunt, urbs ingens & regia, ultra Hydaſpen *Pori regnum*, quo acie ſuperato, in Hydaſpis ripa duas urbes Alexander conſtituit, *Nicæam* & *Bucephalen*, illam in victoriæ, hanc in equi, illo prælio interfecti, memoriam. Poſt Hydaſpen *Aceſines* & *Hydraotes* amnes.

Proximi *Gangaridæ* & *Pharrhaſii* populi: Phegelæ regnum ad *Hyphaſen* fluvium, qui propior Gangi terminus expeditionum Alexandri fuit: ad ripam *Aræ Alexandri*, Victoriarum monumentum ultimum. Citra fluvium fuerunt OXYDRACÆ, apud quos extremum periculum Alexander, e muro in Urbem hoſtilem deſiliens, majori temeritate, quam virtute, adiit. *Sangala* CATHÆORUM urbs ſolo æquata. MALLI valida gens juxta Indum fluvium, & obſcura nomina *Præſtorum*, *Sabracarum*, aliorumque in meridiem juxta ripam vergentium. In ripa ulteriore Indi, ante divortium oſtiorum, Alexandria: in inſula, quam oſtia faciunt

Urbs *Patala*. Cis flumen in maritimis *Oritæ*, & *Arabitæ* habitarunt, Indicæ gentes, quanquam Gedroſiis & aliis, qui ſub Perſarum imperio erant, permixtæ. Illorum oppidum *Ora* fuit, unde genti nomen impoſitum.

Quod ultra Indum in maritimis Macedones non venerunt, obſcuriora ibidem ſunt omnia. In littore, quo nunc *Suratte* eſt, *Minnagoram* & *Barigazam* emporia laudat Arrianus; ſed laudatiſſima *Taprobane* videtur inſula *Ceilan* eſſe in ſinu *Gangetico*.

BRACHMANES tandem commemorandi ſunt in hac India. Non autem Philoſophorum modo generis & ſectæ id nomen fuit, ſed & gentis diffuſiſſimæ, cujus maxima pars in montibus degit, reliqui circa Gangem.

INDIA EXTRA GANGEM tanto obſcurior eſt, quanto remotior; Ptolomæus poſt Gangeticum ſinum *Argenteam regionem* ponit, proximè *Anthropophagos*, *Padæos*, *&* *Leſtaram* ſive latronum terram, a quibus in delineationem AUREÆ CHERSONESI, nunc *Malaca*, progreditur, in qua *Tacola* emporium & fluvium *Chryſoanam* memorat: Hanc peninſulam plerique exiſtimant *Ophir* Salomonis eſſe; alii totam Indiam extra Gangem, non præcipue Cherſoneſum per *Ophir* intelligunt. Sinum de Siam ſinum magnum Ptolæmeus vocat, & poſt illum, ubi Cambodia eſt, SINARUM terram reiicit.

SCYTIA, Septentrionalis pars Aſiæ, ita per *Imaum* montem dividitur, ut India per Gangem. Citerior pars dicitur SCYTHIA INTER IMAUM, quæ incipit poſt *Jaxartem* amnem, Sogdianæ terminum, quem *Tanain* perperam Macedones vocarunt; & in extremum Septentrionem, ſed ignotum veteribus, adſcendit. Verus autem *Tanais* terminus eſt ab Occidente, juxta quem *Magini*, aliique fuerunt.

DAHÆ plerique Scytharum, qui a Caſpio mari incipiunt, appellantur; Sed orienti viciniores MASSAGETÆ, proximi tamen Sogdianæ, quorum Tomyris regina Cyrum devicit. *Gabaza*, aut utcumque ſcribitur illa Sogdianis finitima regio, videtur ad hos pertinuiſſe, & nomen a *Gabis*, munito oppido, inter Sogdianos & Maſſagetas medio, accepiſſe.

ABII Scythæ omnium barbarorum juſtiſſimi, a Cyri exceſſu, cui paruerant, ad Alexandri ætatem liberi.

SACAE autem poſt Maſſagetas ſiti in meridiem pauliſper, ſuper Gangis fortes.

SCYTIA EXTRA IMAUM tota fere incognita, cum Hippophagis & Anthropophagis, aliiſque gentibus, quas ibi Ptolemæus conſtituit. SERICAM idem ab ortu apponit, quæ hodie *Cathay* & *China* pars Septentrionalis eſt. Populi *Seres*, Lanificio Silvarum nobiles; unde nomen accepit, quidquid uſquam præſtantioris lanæ telæque reperitur.

CAPUT XXV.

DE AFRICA, in eaque de ÆGYPTO, MARMARICA & CYRENAICA.

DE Aſia hactenus, Africa ſupereſt, magna illa, quam Oceanus & Mediterraneum mare ambiunt, peninſula. Ægyptus quidem extra Africam veteribus erat, prima pars Aſiæ, ut ait Mela, præſertim ea, quæ cis Nilum ad Arabiæ latus ſita eſt; aut tota etiam, ſi *Catabathmus* limes ponitur; quod vero aptiorem terminum in Arabico ſinu natura conſtituit; quæ ex Aſia ſupereſt, Ægyptum cum Africa recentiores ſecuti geographos, conjungimus.

ÆGYPTUS ab ortu Arabicum ſinum, Arabiam Petræam & Palæſtinam contingit; ab occaſu Marmaricam & Cyrenaicam ſpectat: Æthiopiam a meridie: Septentrionis latus Mediterraneo mari finitur. Dividitur in *Superiorem*, quæ & *Thebais* dicitur, & Æthiopiæ finitima eſt; ac *Inferiorem*, quæ ad mare Mediterraneum ſita circa Nili oſtia & fiſſuras: & in *Hebdanomidem*, quæ utramque interjacet.

IN ÆGYPTO INFERIORI Judææ proxima CASIOTIS eſt, a monte *Caſio* appellata. Ad cujus radices Pompeii ſepulcrum, & oppidum *Caſium* ad mare, atque *Jovis Caſii* delubrum. *Sirbon* lacus in hac regione, ultra montem Caſium Judæam verſus, perſimilis Sodomitico. *Oſtracine* inter Caſium montem & *Rhinocoluram* ſive *Rhinocoruram* Judææ limitem, medio intervallo. Inter Caſium & Peluſium *Chabriæ Caſtra*. Tractus hic poſteriori ævo AUGUSTAMNICA vocabatur, a Peluſio ad *Rhinocoluram*.

DELTA ſequitur, præcipua pars non modo inferioris, in qua eſt, ſed univerſæ etiam Ægypti. Nomen a Δ literæ græcæ figura triangulari. A Peluſio ad Canopum, hoc eſt, inter diſſitiſſima Nili oſtia baſis eſt; Cuſpis juxta Memphin, ubi Nilus in alveos diſpenſatur. *Peluſium* quidem extra Delta, tamen ripæ ejus alvei, quo Delta terminatur, proxime appoſita, nobilis urbs, a qua oſtio illi ad ortum extremo, *Peluſiaci* nomen eſt. Proximum oſtium *Taniticum*, poſt hoc *Mendeſium*, Phetniticum, *Sebeniticum*, *Bolbitinum*, & ad occaſum ſolis ultimum *Canopicum*, Alexandriæ proximum. Singula fere ab oppidis vicinis nominantur, quæ intus jacent, ut ſunt *Tanis*, prius *Zoan*, Pharaonum regia: *Mendes*, *Sebennyſtus*, *Bolbitine* in tractu, quo nunc *Roſſeto* eſt: *Canopus* in inſula, quam oſtium alluit, Serapidis templo illuſtris. Præterea in Delta inter Tanaiticum & Mendeſium *Pharbæthus*; inter Mendeſium & Achribiticum & Sebbeniticum, *Xios*, *Tava*: inter Sebenniticum & Canopicum *Metelis*, *Butus*, *Cabaſa*, *Sais*, *Naucratis*. Extra Delta in parte Orientali juxta Nilum ſupra Peluſium *Magdolus*, *Praſopis*, *Bubaſtus*, *On* *ii*, *Babilon*, Caſtellum a Babiloniis conditum: heic vetus terra *Goſen*: & in Arabiæ confinio *Heliopolis* *&* *Heroopolis*, nunc *Sues*, ad ſinum Arabicum in iſthmo, quem ille cum Mediterraneo mari facit. In Occidentali latere poſt Delta, *Alexandria*, Magni Alexandri opus, & regia Lagidarum, urbs nobilis & Græcis inſtitutis, atque moribus exculta. *Pharus* cynoſura navigantium juxta portum Alexandrinum, in propinqua Inſula, molibus poſt pontibuſque continenti juncta. Lacus *Mareotis* interius recedens ab urbe: oppida *Juliopolis*, & *Menelaus*, in regione Alexandrinorum. Ad extimam ripam Canopici fluminis *Hermopolis* minor, *Andropolis*, *Latopolis*, quaſi Latonæ oppidum, *Proxenopolis* circa Naucratim. Sicut autem univerſa Ægyptus in *νομοὺς*, *Nomos*, hoc eſt, Civitatum præfecturas dividebatur, ita in inferiore Nomi erant Tanites, Bubaſtites, Proſopites, Heliopolites, Phasbætites, Athribites, Xoites, Mendeſites, Buſirites, Sebennytes, Cabaſites, Onuphites, Saites, Phthemphua *Tava* dictus, ut Ptenethu a Buto Metropoli, Metelites, Leontopolites, Naucratites, Menelaites, Latopolites, & ſi qui alii fuerunt.

HEBDANOMIS, Ἑβδανομὶς, ſeu *Heptanomis* media Ægypti provincia, in ſeptem nomos diſtributa, ſive Metropoles, quæ ſunt *Memphis* ad Africam ripam Nili, antiqua regia, ubi bos Apis, Ægyptiorum Deus, cuſtodiebatur. *Pyramides* huic urbi propinquæ: *Heraclea* ſive Ηρακλέως πόλις, & in Inſula Nili *Nilopolis* in Heracleote nomo inſulari: rurſus in ripa Africa, ſive occidentali *Arſinoe*, & juxta eam *Labyrinthus* *&* *Mœris* lacus: *Ptolemais*, *Aphroditopolis*, *Oxyrinchus*, *Hermopolis* major, & *Cynopolis*, ubi Anubis colebatur. In cujus Nomo trans fluvium, ſive Arabica ripa *Acoris* *&* *Alabaſtra* erant. Hinc Nomi dicuntur Memphites, Heracleotes, Arſinoites, Aphroditopolites, Oxyrincites, Cynopolites, Hermopolites.

ÆGYPTUS SUPERIOR ſive THEBAIS in auſtrum vergit. Ἑβδανομοις finitimæ Civitates *Antinoupolis*, ab Hadriano condita, in ripa Arabica, ubi & *Anteopolis*: at *Lycopolis* *&* *Hypſele* in latere occidentali, in quo ulteriores *Ptolemais* magna in *Thinite* Nomo: *Abydus* Memnonis regia, oraculo inſignis: *Dioſpolis* parva, *Tentyra* *Hermonthis*, *Apollopolis*. In Arabica ripa ulteriores *Panopolis*, *Coptos* emporium, *Thebæ* ſive *Dioſpolis* magna, Centum portarum; *Ombi* & tandem *Syene*, ſub Cancri Tropico ſita: & proxima *Elephantine* ſive *Elephantis* Inſula cum oppido, Ægypti ad Ætiopiam termino. Ex his quoque urbibus Nomi appellantur, ut *Antinoites*, *Anteopolites*, *Lycopolites*, *Coptites*, *Apollopolites*, & alii. Incerto poſitu oppidum *Sampſira*, unde *Σαμψιρεῖται* in Hadriani nummo.

Litus Arabici ſinus fere ſterile & male habitatum, omnibus colonis circa Nilum confluentibus, qui ut fœcondior eſſet, non a Regibus modo, ſed Romanis etiam Imperatoribus in foſſas pœne multas deductus fuit, quibus tum agrorum rigationi, tum vecturæ commoditati conſulebatur.

MARMARICA, regio vaſta & deſerta inter Alexandriam Ægypti, & Pentapolin Syrenaicam, incipit poſt *Marèam* ſive *Mareotidem* paludem, quæ juxta *Alexandriam* eſt, & longe in meridiem a mari recedit. *Catabathmus*, vallis in Ægyptum devexa cum oppido, Africam ab Aſia, ſecundum veteres Geographos, diſterminavit. Ptolemæus duplicem facit, ſed parvus Ægypto vicinus eſt terminus. Supra hanc oram *Oaſis* ſive *Oaſa* gemina magna, auſtralior: parva infra illam, utraque horridis et incultis locis circumdata, a Ptolemæo Heptanomidi Ægyptiæ adſcripta. Poſt *Mareotis* eſt & *Jovis Ammonis* oraculum, cum *Fonte Solis*: item *Apis* vicus religione nobilis: et ad mare *Paratonium* cum portu. Poſt hunc multi alii portus & maritimæ civitates, verum non æque celebres, ut *Selinus*, *Æneſiphyra*, *Catabathmus Magnus*, *Petras magnus*, *Portus Menelai*, *Antipyrgos*, *Bathracus* portus, *Cherſoneſus magna*, *Axilis Villa*, terminus ad Cyrenaicam, ſecundum Ptolemæum; quæ intus, maritimis multo obſcuriora ſunt. Incolæ hujus regionis *Marmaridæ* *&* *Mareotæ*, ſicut ipſa regio *Lybia* etiam *Mareotis* appellatur. *Adyrmachidæ*, Lybica gens, Ægypto vicina, a Poetis & Geographis memorata, in hanc oram referendi videntur.

CYRENAICA laxe Marmaricam comprehendit, ſtrictim agrum urbis Cyrenes, unius ex Pentapoli, ſignificat; medio ſenſu, ut hoc loco, tractum a Marmarica ad ſinum *Syrtis magnæ*, ſive ad *Aras Philæni*, quæ ad illum ſinum ſunt, complectitur. A quinque urbibus clariſſimis PENTAPOLIS dicitur, puta Lybiæ. Ab ortu *Zephyrium* promontorium, proxima *Apollonia* & *Phycùs* promontorium, cum oppido & navali Cirenæorum: proximè *Ptolemais* *&* *Arſinoe*, & ad Syrtis ſinum Berenice, antea Εσπερίς, unde *Heſperides* magnæ famæ *Horti*, qui in his oris dicuntur fuiſſe, nomen habuere. Hæc in litore: *Cyrene* ſupra Apolloniam pauliſper reducta, omnium nobiliſſima, Græca colonia, Judæis advenis non minus quam philoſophiæ cultoribus frequentata. Interius ſecundum Ptolemæum *Barce*, unde *Barcei* *Maronis*; & nomen Regno Barcam reliquum: & *Philonis villa*: niſi cum Plinio & Strabone *Barcen* *&* *Ptolemaida* eamdem habeas. Ad Pentapolitanam ergo pertinent Cyrene, Apollonia, Ptolemais, Arſinoe Berenice. Incolas quidam *Quinquegentianos* Africæ, in medii ævi hiſtoria memoratos, interpretantur, quos alii in ulteriora removent.

CAPUT XXVI.

DE SYRTIBUS, BYZACIO, & AFRICA PROPRIA.

INTER Cyrenaicam & propriam *Africam* ſive *Zeugitanam*, duo ſinus maris Lybici ſunt, amplior, qui ad orientem; minor, qui ad occaſum Solis. In utroque vadoſa loca, non longiſſime a litoribus remota, in quæ ſi navis vel æſtu tracta, vel tempeſtate depulſa inciderit, fundo adfixa hæret, & interitum omnibus, quos vexerat, adfert, niſi, quod raro fit, reciprocatione æſtus ſublevata è præſentiſſimo periculo evadat. Hæ duæ famoſæ SYRTES, quæ ſinus ſuos denominant, *Magna* quidem Cyrenaicam verſus, ſive in Orientali ſinu: *Parva* in ſinu Occidentali. Steriles ſupra Syrtes Campi ſunt, nec tamen expertes Incolarum aut Oppidorum, præſertim medio inter utrumque ſinum loco, qui fertilior cultiorque eſt, ubi inter ſinum Syrtis magnæ & oſtia fluminis *Cinyphi* ſive *Cin pis* (Κίνυ⸸, & Κινυφοσ) fuere *Aſpis*, & *Barathia*: inter hunc amnem, & Syrtem minorem *Neapolis*, hodie *Tripolis* Barbariæ; *Garapha* portus, *Oea*, ſive *Oeenſis* civitas, colonia poſt Hadriani, *Ælia Auguſta* cognominata: & *Leptis Magna*, quæ Straboni eadem eſt ac Neapolis Plinio & Melæ diverſa: intus *Sabrata*, & *Abrotonum*. Sed *Tripolis* veterum, aut Medii ævi ex oppidorum ſocietate Oeæ, *Sabratæ*, ac *Leptis* appellata, Regionis potius quam urbis nomen fuit: aut urbis hujus nominis vere ex tribus oppidis conflatæ eo loco, qui hodie *Tripoli Vecchio* nominari dicitur. Hinc regio TRIPOLITANA, eadam et SUBVENTANA, non autem apud antiquiſſimos Scriptores.

LOTOPHAGOS populos Plinius ad *Philænorum Aras*, hoc eſt, *C renaicæ* limitem locavit; Inſula autem *Lotophagites* Ptolemæo in ſinu Syrtis minoris eſt. Traduntur autem *Lotophagi* fuiſſe, qui Loto, ideſt, hujuſmodi fructu veſcebantur, qui patriæ oblivionem dulcedine ſua induceret.

AFRICA propria, ſive Minor, Carthaginenſium imperium complectebatur, quod a Numidia ad Philænorum Aras prorogatum dicitur. Strictim regio eſt a Tuſca amne, Numidiæ fine, ad Syrtem minorem, diviſa in duas partes; altero ſæculo in duas Provincias, BYZACENAM orientalem & Syrti vicinam: ac ZEUGITANAM, quæ occaſum ſpectat, & Numidiam.

BYZACIUM ſive BYZACENA, tractus eſt a Syrti parva ad uſque *Adrumetum*, fertilitatis tantæ, ut cum *Centeſima* fruge fœnus terra agricolis reddat. Maritimæ urbes ſunt *Tacape* ad intimum ſinum Syrtis prope oſtia *Tritonis* fluvii, qui citra oppidum decurrit, occaſum verſus: *Macomada & Thænæ* ſive *Thenæ* poſt Hadriani colonia cum *Æliæ Auguſtæ* cognomine: *Taphrura*, Inſulæ *Cercina* propoſita: *Acholla* ſive *Acolla*, quæ ac Hirtii Acilla eadem eſt: *Annibalis Turris*; & *Tapſus*, Cæſaris victoria contra Pompejanos inſignis: *Leptis parva*, & *Rhuſpina*, itidem Cæſaris Africano bello nota: *Adrumetum* ſive *Hadrumetum* Byzacenæ Metropolis, mox colonia Trajani: at *Zetta* ſive *Zella* incerto ad mare loco: reductum a mari *Agar* Hirtii intus *Byzacia*, unde nomen regioni. *Uzita* Cæſaris caſtris non ignota: *Uluſubra* ſive *Ulizibirra*: *Tiſdra* ſive *Tyſdrus*: *Capſa* ad Lybiæ deſerta, Jugurthæ munimentum, & Gazophilacium. At *Parada*, Hirtii inter Thapſum & Uticam media.

LIBIOPHOENICES Byzacenam inhabitabant.

PARS ZEUGITANA ab Adrumeto ad Numidiam patebat, a qua fluvio Tuſca ſeparata fuit. Poſt Adrumetum in litore *Siagul*, *Neapolis*, colonia, ſed alia a Leptitana: *Curabis*, *Clupea* ſive *Clypea* Græcis Ασπίς, prima, quam Romani in Africa urbem ceperunt, ſita ſupra *Promontorium Mercurii* (Ἑρμαίαν ἄκραν), nunc *Capo Bono*. Hæc ora AGER VOCANUS eſt apud Livium. Ultra promontorium, *Miſva*, *Carpis*, *Maxulla*, & *Tuneta* græcè ὁ Τυνης, hodie *Tunis*, natura & arte munitus locus, inter quem & Carthaginem fluvius labitur, Ptolemæo *Cathada* appellatus: ultra hunc *Carthago*, Phænicum colonia, Romæ æmula potentiſſima, a Scipione deleta, alio tempore inſtaurata, & inſignis Romanorum civium colonia. *Promontorium pulchrum*, (Χαλον) Carthagini in ſeptentrionem obverſum, ex antiquiſſimo fœdere ante Punica bella Romanæ navigationis terminus. In eadem ora *Apollinis* promontorium, nunc *Capo Negro*; & aliud quod *Candidum*, *Capo Mabra* dicitur. Apollinis & Mercurii promontoria ſinum Tunitanum includunt: ſicut idem Apollinis & Candidum efficiunt ſinum Hipponenſem, *Baja di Bona* vulgo. Sed ad *Bagradam* amnem revertimur, ad quem M. Regulus immanem Serpentem Baliſtis & Catapultis oppugnavit. Ortus in interiore Lybia inter Carthaginem et Uticam mari inſinuatur. Siniſtræ ripæ *Cornelia Caſtra* propinqua, locus Scipionis memoriam adſervans: poſt quæ urbs *Utica* Catonis morte nobilis ſecunda a Carthagine, & hac deleta caput provinciæ Romanæ *Hippo* ſequitur, Romana colonia, *Zarytus* ſive *Diarrhytus* propter irrigua aquarum dictus, diſcriminis cauſa. Non ſolum enim mari, ſed lacu etiam alluitur, in quo miræ manſuetudinis Delphinus cum puero luſit. Et hoc ad Numidiam, quam Tuſca amnis diſterminat, extremum oppidum. Introrſus a mari recedunt *Nepheris* inter Clupeam & Maxullam, *Sicilabra* ſive *Sicilibba* inter Carthaginem & Bagradam amnem: item *Maxulla vetus*, *Uſulla* ſive *Uzula*, Uticæ vicina: *Uthina* juxta Bagradæ ſiniſtram ripam: *Hippacra*, *Anda*, *Abba* incerti ſinus, niſi quod *Abbam* ſive *Obbam* Polybius vicinum Carthagini conſtituit: *Theudalis* inter Uticam & Uthinam: in auſtrum longius vergunt *Tuburbo minus* (majus in Numidia eſt) & *Suſibus* ac *Suſetula*, & alia obſcuriora oppida. ZEUGIS autem, unde nomen *Zeugitana* regionis eſt, Æthico auctore, non unius loci cognomentum, ſed totius provinciæ eſt, in qua Carthago civitas conſtituta fuit.

NUMIDIA non eadem omnibus Geographis. A *Tuſca* fluvio ad *Mulucham* hoc nomen obtinebat, inter quos terminos medius amnis *Ampſaga*. Inter Tuſcam & Ampſagam *Numidia propria*, quæ *Nova* Ptolemæo eſt, Regnum *Maſiniſſæ & Maſſæſylorum* terra, quam quidem Africæ propriæ adjiciunt, ſed ſine multorum conſenſu: inter Ampſagam ac Mulucham amnes Numidia *Maſſæſylorum*, Syphacis Regnum, & pleriſque ſub Cæſarienſi Mauritania, quæ ab *Ampſaga* ad *Malvam* fuit comprehenſa.

NUMIDIA propria, ſive inter Tuſcam & Ampſagam flumina patens, Tuſciæ propinquam habuit *Tabracam* civium Romanorum oppidum: poſt quod *Rubricati* oſtia ſunt, & *Hippo Regius*, colonia Auguſtini Epiſcopi medio ævo inſignis: *Aphrodiſium* alia colonia: *Collops parvus*, *Tacatua*, *Tretum* ſive *Tritum* promontorium: *Ruſicade*, *Cullu* ſive *Collops magnus*: *Ampſagæ* oſtia ſub *Metagenio* promontorio: quod vero alii negant, in Mediterraneis *Tucca Theribinthina* oppidum inter *Tuſcam & Rubricatum* flumina, uti etiam *Aſſurus & Sicca Veneria Madaura* (Ptolem. *Madurus*) in Gætuliæ & Numidiæ confinio, patria Apuleji. Poſt *Rubricatum*, *Bulla regia*, *Tucca* altera, & *Cirta* Maſiniſſæ regia, & hoc pulſo Syphacis, poſt colonia Romana, *Sittianorum* cognomine, qui contra Jubam pro Cæſare ſub P. Sittio militaverant, tandem *Conſtantina* dicta: *Mileſis* Concilio Chriſtiano clara: *Vaga*, *Simittu*; *Aquæ Tibilitanæ*; *Lambæſa* Legio III. Augnſta: & in Auſtrum remotior *Zama* Jubæ regia, Strabonis ævo deſerta, ſub Hadriano cum Æliæ Auguſtæ cognomento inſtaurata. Incerto loco *Thala*, *Vacca* rerum venalium forum, *Suthul*, omnia Jugurthæ munimenta, nam latè in Mediterraneis ultra Capſam ad Syrtes uſque imperavit: *Thirmida*, ubi Hiempſal interfectus eſt; *Muthul* amnis in Adherbalis Regno, juxta quem Metellus Jugurtham vicit.

MASSAESYLORUM Numidarum regio inter Ampſagam & Mulucham flumina. *Mulucha* autem Jugurthæ Bocchique Regnorum finis. Quod vero hunc agrum, Jugurtha prodito, Rex Bocchus ab Romanis accepit, ut Maſiniſſa antea devicto Syphace; *Mauritaniæ* nomen, quod prius trans Mulucham erat, etiam huic tractui inter Mulucham & Ampſagam acceſſit. Amplior ſic & auctior Mauritania inter Bocchi majoris poſteros, Boccum atque Bogudem, in duas partes, quas *Malva* flumen dirimebat, diviſa fuit, & Orientalis *Regnum Bocchi*, pars occidentalis Regnum *Bogudis* nominabatur, cum civile bellum ſub Julio Cæſare, & Octaviano conficeretur. Claudius Cæſar provinciam geminam in Mauritania fecit, ex Bocchi Regno *Cæſarienſem*; ex Bogudis, *Tingitanam*, utramque ab Urbe primaria denominatam: quæ diviſio ſecutis temporibus ita invaluit, ut commodius, quam ſub hoc diſcrimine, illas partes non poſſimus explicare.

MAURITANIA CAESARIENSIS inter Ampſagam, & Malvam intercepta. In ora maris ad Ampſagæ oſtium *Tucca*; *Igilgili* colonia, ut & *Salde*, ac *Ruzaſus*, & civitate honoratum a Claudio *Ruſucurium*: *Ruſconia* ſive *Ruſgunia*, colonia Auguſti: *Icoſium*: & *Tipaſa* Latii juris: *Cæſarea*, ante *Jol*, ab Juba filio, cujus regia erat, tam operibus, quam Cæſaris nomine ornata, a Claudio coloniæ jure aucta. Ex ſitu, portu, & inſula ante portum, conjiciunt ejus oræ periti potentiſſimam Urbem *Algier* in loco Cæſaræ eſſe. Inter Cæſaream & Muluchæ oſtium coloniæ *Gunugi* & *Cartenna*: *Arſennaria*, Latinorum, *Tviza* ſive *Tvida Xenitana* peregrinorum oppidum. Quem autem Mulucham plerique amnem vocant, Straboni eſt Μολοχαθ, Ptolemæo tranſpoſitis literis Χυλημαθ (quamvis & alium hic Μολοχαθ in Tingitana prope Malvam ponit) terminus olim Bocchi Maſſeſylorumque: inter hunc & *Malvam*, *portus magnus* civium Romanorum oppidum: *Siga* Syphacis regia ad fluvium ejuſdem nominis. *Malva* autem, Plinio *Malvana*, navigabilis amnis, quondam Bogudis & Bocchi Regnorum, poſtea provinciarum ſub Cæſaribus finis erat. Intus inter Igilgili & Saldem *Tubuſuptus* vel *Tubuſcus*, ad Audum amnem: a Cæſarea Mulucham verſus *Succubar* vel *Sugaberritanum* municipium: *Oppidum novum* (Οππιδονεον Ptolem.) colonia: *Victoria Timici*. At *Sitapha* apud Ptolemæum ſiniſtræ ripæ fluminis Ampſagæ appoſita, colonia primum, dein metropolis facta, unde ſequenti ſæculo *Sitifenſis* Mauritania pro parte Cæſarienſis appellata fuit.

MAURITANIA TINGITANA prius BOGUDIANA, a Malva fluvio ad Oceanum ſub freto Gaditano porrecta. In litore ad Malva ad fretum alius amnis, quem *Molochath* Ptolemæus vocat: *Metagonites* Promontorium, oppidum *Ruſadir* ſive *Ruſadder*: *Aſcurum*, & prior freto mons *Abila*, altera laborum Herculis meta, cui Calpe in Europa reſpondet; proximi *Septem fratres* Επταδελφοὶ, a ſimili altitudine appellati montes. Oppidum ibidem *Septa*, nunc *Ceuta*, in medii ævi Geographia quam antiqua, notius. Super ipſum fretum ultra Herculis Columnas *Tingi* ſive *Tingis*, Claudii Cæſaris Colonia, unde nomen Provinciæ eſt, hodie *Tangier*: ex Tingitanis, Zeilitaniſque, in Bæticæ oram traductis, Coloniam Auguſtus conſtituit *Julia Traducta* nomine, quam Claudius videtur reduxiſſe, idque *Traducta* nomen impoſuiſſe Tingitanæ Civitati; ut Plinium cæteris Chorographis clariſſimus interpres Harduinus, poſt doctorum virorum diſſidia, conciliat. In ora Oceani, freto proxima, Colonia Auguſti, *Julia Conſtantia*, *Zilis* ſive *Zeilis*, exempta regum Maurorum ditioni, & Bæticæ adſcripta: *Lixus*, hodie l' *Arache*, Colonia Claudii prope oſtium, amnis cognominis, ubi etiam Heſperidum hortos quidam poſuerunt: intus *Babba* itidem Auguſti Colonia, *Julia Campeſtris* nomine honorata: ac *Banaſa*, Colonia ejuſdem juxta Suburem flumen, *Valentia* cognominata: ulterius ſed in maris ora, oppidum *Sala* ejuſdem nominis fluvio impoſitum, unde per gentem Autolorum iter ad montem Atlantem eſt.

Hæc

Hæc de Mauretania, quæ in nummis ita & lapidibus, non Mauritania, ſed Mauretania per e ſcribitur, & EXERCITUS MAURETANICUS in nummo Hadriani; gens Mauri & Mauruſii.

CAPUT XXVII.

DE AFRICA INTERIORE.

QUA Cauſa Ægyptum ex veteri Aſia in Africam reduximus, eadem, quæ Ægypto regiones ſubjacent, Africæ potius, quam Aſiæ imputamus.

ÆTHIOPIA veteribus Ægyptum ab auſtro contingebat, quam late longeque, ultra æquatorem etiam extenderunt. Partem ergo Nubienſis regni Ægypto conterminam, & Habeſſiniam, ſive Chriſtianam Æthiopiam, intra VIII & XVI gradus latitudinis borealis terminatam, & ulteriores Provincias neceſse eſt comprehendiſſe. Vix autem illis quidquam de toto illo tractu, præter vicinas Ægypto regiones, notum exploratumque fuit, ubi in Candacis regno Urbem *Tanapen*, reginæ ſedem, C. Petronius Auguſti apud Ægyptum Præfectus expugnaſſe dicitur. Hujus regni præcipua pars fuit *Meroe*, ampla in Nilo inſula, cum oppido ejuſdem nominis, quod etiam ut caput gentis deſcribitur. *Nilus* autem in Habeſſinia (non ultra æquatorem aut in Mauretania, ut antiqui Scriptores tradiderunt) natus Æthiopiam reliquam percurrit, & circa Catarractas a CATADUPIS populis accolitur, ſicut ipſæ Catarractæ *Catadupa* appellantur, quod de majoribus intelligendum: minores autem Catarractæ (*καταῤῥάκτης ὁ μικρος* Ptolemæo) prope Syenem & Ægypti limitem. BLEMMYES in confinio Ægypti & Æthiopiæ mirabili corpore, ſine capite, ore & oculis in pectus depreſſis, fingebantur, quod forſan colli brevitate caput thoraci inſidere viſum fuit. Probus Romanus Imperator illos ſubegiſse narratur, & captivos inde ſpectaculo adduxiſſe Romam.

TROGLODYTÆ ad Arabici ſinus litora in confinio Æthiopum habitaverunt, quanquam & aliis Africæ locis, ut in Mauretania, etiam in ipſo Scytico orbe hujuſmodi Cavernarum hobitatores (id enim nomen ſignificat) commemorantur. Ultra Troglodytas, quos inter Nilum & Arabicum ſinum ponunt, NUBI ſive *Nubei Æthiopes* habitarunt, & *Avalitæ*, uterque trans Nilum populus, ut Nubiæ regnum, quod poſterior ætas cis fluvium vidit, ſive in latere Occidentali, ad illos Plinii & Ptolemæi Nubas ſive Nubeos nequaquam pertineat. Nili ramus in Occidentem excurrens *Nigris* vocatur, ejuſque accolæ *Nigritæ*. Supra Syrticas gentes, aut circa Bagradæ & Cinypis fontes, GARAMANTES populi ad Lybiam interiorem: & ultra hos PSYLLI, Serpentum venena ex vulneribus ſugendo extrahentes. Numidiæ & ex parte Mauretaniæ GÆTULIA obvertitur confuſo limite: ATLANTES populi poſt Gætulos, ad occaſum ultimi, ubi *Atlas* mons fabuloſus Oceanum, qui inde *Atlanticus* dicitur, ſummis ſuis jugis proſpectat. Geminus autem eſt; *Minor* in confinio Mauretaniæ: *Major Atlas* multo in auſtrum remotior. *Gymnetes* propinqui, & ſupra Nigris Septentrionale oſtium *Pharuſii*, in ora Atlantici maris, & alia obſcura gentium nomina. Quæ reliqua ſunt, & ulteriora, *Lybiæ* & *Æthiopiæ inferioris* nominibus inſigniuntur, ſicut omnis Africa Græcis *Lybia* eſt, & duæ veteribus Æthiopiæ, ad Orientem occaſum verſæ. Unde etiam ultra æquatorem, Atlanticum mare verſus, Æthiopia fuit, ſed inferior & occidentalis: quam autem ſupra deſcripſimus, vocarunt *Æthiopiam ſupra Ægyptum*.

CAPUT XXVIII.

DE INSULIS ad AFRICAM PERTINENTIBUS.

INSULÆ ad Africam in Mediterraneo mari non admodum multæ, & ex his pleræque parvæ & ignobiles. In ſinu Syrtis minoris *Meninx* cum oppido, quæ etiam *Lotophagites* dicebatur, quoniam adverſum continentis litus Lotophagi tenuerunt: hodie *Gerbi* dicitur, ſicut medio ævo *Girba*. *Cercina* ſupra illam, cum oppido ejuſdem nominis, inter Thænas & Acollam: & *Cercinitis* parva huic adjecta, aut ponte juncta. Acollæ & Thapſo *Lopaduſa* (hodie *Lampedoſa*) adverſa; Clupeæ & Mercurii Promontorio *Coſyra* ſive *Coſura*, quam cap. X cum Melite, poeta auctore, conjunximus. Ipſam Meliten, nunc Maltam, non pauci adſcribunt Africæ: ſed quia medio inter Siciliam & Africam mari eſt, imo propinquior Siciliæ, Europæ illam vindicavimus. *Ægimurus* ſinum Carthaginis ab alto claudit: *Ægimori* autem *Aræ* vel eadem inſula, vel Scopuli illi ſunt, quos *mediis influentibus Aras* poeta dixit.

Inſulas Oceani ad utrumque latus etiam antiqui agnoverunt, ſed multas in iis fabuloſas. Quæ in ſinu Arabico perparvæ ſunt, taceri ſine diſpendio famæ poſsunt. Ultra fauces ſinus Arabici *inſula Diodori*, ubi incipit ſinus *Abalites* ſive *Avalites*. Periplus Arriani, poſtquam barbarica emporia, inter fauces Arabici freti & æquatorem circulum, detexerat (ſunt autem *Avalites*, *Maleos*, *Mondi Moſylon*, *Niloptolemæum*, & alia) tandem ultra æquinoctialem lineam *Pyralaorum* parvas inſulas manifeſtæ, & magnum, cui *Menuthiadis* nomen fit, quam plerique *Madagaſcar*, ſive S. Laurentii interpretantur, alii malunt *Dezazibar* intellectam, quod mare inter *Madagaſcar* & continentem propter Syrtes & Charybdes ne hodie quidem ſine extremo periculo navigatur, nedum antiquis rudibuſque temporibus. Terminus peripli illius promontorium vel emporium *Rhaptum*, *τὰ ῥαπτὰ* Arriano, quod circa *Quiloam* poſitum exiſtimant ii, quibus Menuthias non *Madagaſcar*, ſed *Zanzibar* fuiſse videtur. *Cernen* etiam heic quidam inſulam laudant, quæ fortaſſe eadem ac jam deſcripta Menuthias.

In Oceano occidentali Fortunatas inſulas & quæ hodie Canariæ dicuntur, eaſdem eſſe non dubitatur. Sex Juba & Ptolemæus numerant, & in iis unam, cui nomen Canariæ ſit a multitudine canum ingentis magnitudinis inditum. Poetæ fabulas pro more adjiciunt, incoliſque tribuunt beatiſſimum ſtatum & immortalitatem, incerti vero & dubii de loco, quem vel juxta Hiſpaniam, vel in Britanico mari, aut alibi errabundi quærunt. Sed ex Jubæ deſcriptione veriora Plinius, & poſt ipſum alii. Supra Fortunatas in Septentrionem vergunt PURPURARIAE, hodie *Madera* & *Porto Sancto*, in quibus Purpuram Gætulicam tingere rex Juba inſtituerat. Quæ in auſtrum Fortunatis ſubjacent, incertiora ſunt, præter illa quæ Hannonis Periplus manifeſtavit. *Cerne* Hannonis videtur *Arguin* eſſe, circa XXI gradum latitudinis borealis. *Heſperius ſinus* (Εσπερυ κερας) ad Promontorium viride (*Capo Verde*) ſitus: aliis κερας ipſum Promontorium eſt. Inde *διάπυρον χωραν* calidiſſimam regionem prætervectus Hanno, aliquot dierum navigatione ad Promontorium delatus eſt, quod *Θεων οχημα*, *Deorum Currus* ab altitudine vocatur, nunc *Sierra Liona* montium facile non Africæ modo, ſed orbis etiam terrarum altiſſimus. Ab hoc navigatione tridui in ſinum, quem *χέρας νότυ* dixerunt, perventum fuit, cujus inſula videtur Palmifera ſive *S. Annæ* eſse, hirſutos homines habuit, unde fæminarum pelles Carthaginem deportatæ ſunt. Hæc inſula terminus erat Peripli Hannonis.

GORGADES ſuperſunt ſive GORGONES, domus Gorgonum; ſed plus fabularum in hoc nomine. Fuiſſe ad *Heſperu Ceras*, id eſt, poſt viride Promontorium, multorum concurſu creditur: quot earum, apud priſcos incertum.

HESPERIDÆs duas eis Plinius adjungit, unde factum puto, ut *Gorgades* & *Heſperides* pro iiſdem vulgo habeantur, pro iis nempe, quas de *Capo Verde* inſulas appellamus. Veteres ſcriptores ſibi non conſtant; Plinius Gorgadas ex Hannone probaturus, cum aliis inſulis confundit. Id autem credibile, Gorgonum fæminarum fabulam a periplo illo & hirſutis mulieribus ortam eſse, quarum cutes in templo Junonis Hanno ſuſpendit Carthagine. Inſula vero, ubi captæ fuerunt hæ mulieres, tridui navigatione ultra *Θεῶν οχημα* traditur ſita fuiſse, cum Heſperides, quæ vulgo ita vocantur, ſint his illud Promontorium.

Quæ de Atlantide majore quam Aſia & Africa, extra Herculis Columnas inſula, in Timæo Plato ſcripſit, propriora fabulis ſunt, quam ut priſcis temporibus cognitam Americam fuiſse exinde aliquis facile crediderit, nec certiora Siculus Diodorus adfert, cum Phœnices extra Herculis Columnas profectos, tempeſtatumque impetu abreptos illam inſulam, quam mirifice lib. V cap. XIX laudat, inveniſſe ſcribit: addit Plato diſparuiſse, Oceani contectam inundatione: & Ammianus lib XVII cap. XVI (qui & ipſam Europæo orbe potiorem dixit) ad profundos hiatus Erebi abactam æternis tenebris occultari dicit.

APPENDIX

De Veterum Scriptorum ΔΗΜΟΠΑΘΕΙΑ.

TAM ſacros Scriptores quam prophanos veteres ad vulgi ſe captum non raro accommodare, & de Cœleſtibus rebus ac Geographicis ita ſubinde ſentire, ut plebeja fert opinio, innumeris exemplis, ſi opus eſſet, confirmari poteſt. Nos paucis, & quidem ad Geographiam pertinentibus, contenti, de ipſa vulgi opinione ejuſque fundamento, antequam exempla proferamus, perbreviter, quæ ad illuſtranda faciunt præmittimus.

Quod viſus humanus Cœli conſpicui concavitatem horizonti ſenſibili conterminam eſſe putat, fit ut rudis vulgus, judicium oculorum ſecutus, credat, Cœlum non ſphæricum eſse, ſed hemiſphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus ipſa Cœli extremitas innitatur: terram enim non ut globum ſed ut diſcum imperitiores intuentur. Hoc ſapientiſſimi etiam Scriptores uſitata vetuſtis Sæculis *συγκατάβασει* (quæ ex apologis etiam & mythologia conſtat) non raro imitantur.

Sic Aſsyrii Chaldæique hoſtes Judæorum dicuntur *ab extremitate terræ* venturi, Eſa. verſ. 26 & ipſi majores gentis Iſraeliticæ, qui ex Transeuphratea regione acceſserant, *ab extremis terræ* evocati, cap. XLI 9; ſic regina Sabæa ex *τῶν περάτων τησ γῆσ*, *a finibus terræ*, ad Salomonem profecta dicitur, quæ ex felici Arabia, ut plurimorum opinio eſt, advenerat. Quid? Quod non modo fines terrarum orbis

S. literæ agnoſcunt, ſed etiam ipſius Cœli. Deuteron. IV 32 *quære ab extremo Cœli ad extremum Cœli*: & cap. XXX 4 ſi depulſus fueris *ad extremum Cœli*, hoc eſt, ad longinqua & remotiſſima loca.

Eodem modo locuti ſunt prophani Scriptores: Plinius libro II cap. LXXVIII *Æthiopas* ait *vicini Sideris vapore torreri, aduſtiſque ſimiles gigni*. Horatius lib. I carm. od. XXII.

> Pone ſub curru nimium propinqui
> Solis, in terra domibus negata.

Lucanus lib. IX verſ. 351.

> Terrarum primam Lybien, nam proxima Cœlo eſt,
> Ut probat ipſe calor.

Tibullus lib. IV eleg. I verſ. 145.

> Ultima vicinus phœbo tenet arva Padæus.

Et Sextus Rufus cap. X *poſita ſub vicino Sole Provinciæ*, hoc eſt, Orientales. Quomodò autem extrema ſive prima habitabilis orbis terra *vicina* & *proxima* Cœlo atque Soli poteſt, niſi ex vulgi hac opinione, appellari? Glorioſior Darii vox apud Curtium eſt *per Solem* precantis *intra fines regni ſui orientem*: ultimas ad ortum terras poſſidere vulgo creditus, ſibi ſuiſque finibus exortum Solis tribuebat. Nec aliter Macedones *extra ſidera & Solem ſe trahi* querebantur, cum ad Indiam oppugnandam ducerentur. Vid. Curt. lib. IV cap. XIV & lib. IX cap. IV Hæc & ſimilia cum Geographia pugnant, quæ rotundam terram eſſe, & ubique æqualiter a Cœlo diſtare, nuſquam eodem contingi, docet. Nec ſemper res expeditur, ſi de directis obliquiſve radiis, id quod multi ſolent, exponas. Non ergo facilius interpretamur illa, quam ex vulgi opinione & loquendi modo, quam δημοπάθειαν diximus, ut ἀνθρωποπάθεια eſt, cum hominum mores & dicendi rationem Sacræ literæ in divinis æmulantur.

F I N I S.

AD CHRISTOPHORI CELLARII
GEOGRAPHIAM ANTIQUAM
APPENDIX

CUM Geographiam ſuam Clariſſimus Cellarius nullis geographicis tabulis inſtructam atque ornatam in lucem emiſiſſet, eoque nomine manca quodammodo, ac decurtata eruditi Viri lucubratio videretur, non valde certe uſibus eorum, qui opus lecturi eſſent, accommodata; tandem eruditus Anglus exſtitit Samuel Patrick, *qui ejus recudendæ conſilium apud ſuos cum iniiſſet* tot chartas (*quæ ejus verba ſunt in fronte Operis Londini an.* MDCCLXIV. *excuſi*) ex majori auctoris Geographia antiqua, quot ad minorem hanc illuſtrandam requirebantur, *addendas curavit; Cum igitur nos non minori (quam in octavo Typographi appellant) forma Cellarianæ Geographiæ Compendium, ut Patrickius fecit, ſed ampliſſima hac, quam videtis; nec XXVII., quot ille, ſed omnes omnino Cellarii tabulas communicare cum orbe erudito ſtatuerimus, viſi ſumus nobis rem non inutilem lectorum rationibus facturi, ſi & ipſius Cellarii, & Cl. V. Conradi Schvvartz Præfationes ex majori opere, quod* Notitia Orbis antiqui, ſeu Geographia plenior *inſcribitur, excerptas hic ſub eorum adſpectu poneremus. Quod eo conſilio fecimus, quod cum Tabulas inde deſcripſerimus, quidquid ad harum deſcribendarum accurationem, & diligentiam pertinet, id omne in iis, quas diximus, Præfationibus ſedulo a doctiſſimis viris recenſetur, & præter ea majoris ejuſdem Operis ratione, & accuratione ex iiſdem Præfationibus perſpecta, duplicis itidem Indicis, quem ad calcem ſubnectimus, ratio conſtabit; quem quidem Indicem ejudem majoris operis ubique auxilio uſi contexuimus. Denique* Additamentum de Novo Orbe, an cognitus fuerit Veteribus *ab ipſomet Cellario in calce ejuſdem Operis adnexum deſiderari in hac Appendice non ſumus paſſi; quod Additamentum cum ad multa utile eſt, lectuque non injucundum, tum eo adſcripto, plenam denique abſolutamque de Veteri Geographia tractationem Lectoribus noſtris ſiſtere videbamur. Valete.*

L. JO: CONRADI SCHWARTZ ELOQ. ET GRÆC. LING. PROF.
AD CELLARII NOTITIAM ORBIS ANTIQUI

PRÆFATIO.

IN lucem jam redit B. Cellarii liber Geographicus, qui ſimul ac primum editus erat, tanta literatorum gratia excipiebatur, ut apud exteros etiam recuderetur. Redit autem, ut vides, paulo alia indutus forma, quam cur præoptaverimus, rationes breviter exponemus. Quum enim ego per officii rationem in perluſtrandis veterum græcorum & latinorum ſcriptis aſſidue verſer; neceſſe eſt, aliqua mihi occurſare idemtidem, quæ vel ad hiſtoriam perſpiciendam, vel ad geographiam perveſtigandam, vel ad linguarum naturam meditandam, vel ad morum & conſuetudinum varietatem noſcitandam pertineant. Inde igitur obſervationes aliæ poſt alias adhuc extiterunt, quas etſi primo ad meum uſum conſignaram, per occaſionem tamen cum eruditis communicare non dubitavi, ſi quid forte illorum deſideriis commodare poſſent. In iis igitur, quæ ad hunc Cellarii librum aſcripſeram, interdum ſpectavi ori-

§ ginem

ginem urbium. Quum enim civitates de antiquitate ſua fere glorientur atque etiam *diſceptent*, operæ pretium viſum eſt originem urbis cujuſque annotaſſe, prout cujuſque conditor ex veteribus libris forte mihi oblatus erat. Magnus ſaltem conatus eſt & magni animi, condere novum oppidum, conquirere cives, providere his præſidia vitæ, mederi communibus neceſſitatibus, munire poſteris perfugium & caram ſedem. Sed quando conſiliis & optationibus non ſemper eventus reſpondet, fortuna hic quoque dominante; fata urbium cum primis etiam intuenda ſunt viſa. Hæc enim ex Geographorum libris maxime requiri videntur, ſi præſertim ex hiſtoria illuſtrati eſſe dicantur. Omnino urbium vel magnitudo, vel exiguitas, vel cetera aut ornamenta, aut ignominiæ, aut amplificationes, aut excidia, aut renovationes, ut temporibus gubernantur, ita propter varietatem alias admirationem habent, alias voluptatem, alias moleſtiam, & miſerationem. Hæc talia igitur pro re nata ad libri mei marginem itidem adjeceram. Sæpe tamen etiam modo ad nomina oppidorum, ſi quid haberent addubitationis, aliquid admonendum putavi. Eandem conſuetudinem in *fluminibus* tenui. Ex iis enim multa etiam detrimenta, non modo utilitates ad finitimos agros & oppida redundant. Quare ſi quid eorum vel nomina, vel natura, vel fata commemorabile haberent, id mihi prætereundum non putaram. Neque regionum vel ubertas, vel ſterilitas, vel peſtilentia aliunde fere exquiritur, quam ex Geographiis. Ex illis quidem rebus urbium aut ſplendor ac felicitas, aut calamitates & miſeriæ cooriri videbuntur. Quamobrem harum quoque rerum ſæpe habui rationem, ut de ſeſſorum ingeniis, moribus ac fatis facilius exiſtimari liceret. Multa in antiquitatibus hiſce reperiuntur dubia & incerta, multa ſatis clara & magno omnium conſenſu probata. Ergo ut quiſque veterum ſcriptorum ſuo rem quamque teſtimonio firmat, ita ſententiam ejus retinui, data lectoribus indicii ſuffragiique licentia. Quare auctoritatibus, quas Cellarius noſter ad ſententiam ſuam firmandam attulerat, novas interdum addo. Nonnunquam tamen de opinionibus eorum, qui ad veritatem proprius ſibi acceſſiſſe videbantur, nec tamen eo pervenerant, ſententiam dico. Quum autem vetuſtiſſima quæque fere ſint obſcuriſſima, neque certa nitantur fide; prudenter hæc talia Cellarius præterire conſuevit, quamquam in Geographia antiqua verſari ſe meminerat. Ego vero quum non meam, ſed antiquorum fidem hic agi viderem, veterum de vetuſtiſſimis rebus auctoritates ſimpliciter poſui. Ipſi ergo fidem eorum quæ aſſeverant, aut faciant, aut præſtent. Hac mente igitur & Auſonum & illorum Græcorum, quibus hoc nomen proprie quondam hæſerat, deſignavi ſedem. Ambronibus autem, Ambarris, & parti cuidam Helvetiorum, aliiſque populis per rationes patriam ſuam vindicavi. In hiſce autem rebus univerſis brevitati tantopere ſerviendum putavi, ut nonnunquam loca modo, unde quæque petenda eſſent, indicarem, nonnunquam ipſa ſcriptorum verba fideliter adderem. Cavendum enim exiſtimavi, ne de utiliſſimi libri gratia moles detraheret: quum præſertim libri, ex quibus auctorum teſtimonia collecta ſunt, in omnium verſentur manibus, unde ſuis quiſque deſideriis ſatisfacere poſſit. Ac non libros modo, ſed capita quoque & verſus librorum plerumque citavi, unde res quæque repetitæ fuerunt. Eaſdem ſectiones aut etiam paginas in margine ſæpe ad illorum auctorum nomina adjeci, quos Cellarius ſine loci deſignatione commemorarat, ut lectorum adjuvaretur evolvendi conatus. Nomina item gentilia, quæ vocant, aſperſi nonnunquam, quum aliquo ſe utilitatis nomine commendare videbantur. Ne diffidere quidem ab auctore noſtro honeſtum mihi putavi, niſi ubi veritas ipſa locos quoſdam obtuliſſet, per quos a communi errantium multitudine ſegregaſſent ſeſe ſcriptores graves, circumſpecti, & falſitatis inimici. Ratio quidem & humanitas poſtulabat, ne univerſis tribueretur id, quod vel ſingulis, vel majori tantummodo ſcriptorum parti tribui juberet veritas. Ignotiorum oppidorum, fluminum, fontium, populorum nomina multis locis interſpergi potuiſſent, ſed ei rei vel in altero tomo hujus Geographiæ proprium locum aſſignabimus, vel alibi etiam lumen aliquod afferre conabimur. Hic Auctoris veſtigia ſequi maluimus. Ceteris quoque in rebus Auctoris fidem, & religionem illam, qua homines boni alienos libros tractandos cenſent, diligenter ſervavimus. Neque enim ulli culpæ affinem me judicabit quiſquam, quod libri hujus capita in minores partes numeris inſignitas deſcripſerim. Studui enim ea re commoditati lectorum conſulere. Solent enim certius & facilius percurri oculis, quæ exiguis ſunt quaſi terminis circumſcripta. Sed de inſigni annotationum paucitate ſilere ſatius fuerit, quam plura dicere. Ergo vale.

BENEVOLO LECTORI
CHRISTOPHORUS CELLARIUS

GEOGRAPHIA hiſtoriarum atque omnis elegantioris doctrinæ lumen eſt. Ut vero rerum mutationes ſunt, ita nec eadem eſt facies terrarum orbis, quæ alia antiquis fuit temporibus, alia noſtra eſt ætate, & rurſus medio, quod vocant, ævo erat alia. Ex quo conſequitur, ut illa Geographia, quæ Orbem noſtri temporis illuſtrat, non æque antiquioribus illuminandis ſufficiat. Omnia mutantur decurſione temporum, & urbium plurimarum, quæ quondam florentiſſimæ fuerunt, nullum veſtigium ſupereſt: ruinis aliæ de magnitudine veteri teſtantur: novæ heic aliæ & illic ſurrexerunt, aut creverunt ex ruderibus priorum. Regnorum quoque & provinciarum mutati fines ſunt, neque nomina nec diſtributiones conſervatæ. Alia ergo notitia rerum & locorum opus eſt, quæ priſcis temporibus æquata, eo res ordine, quo fuerunt, & rerum nomina diviſioneſque exhibeat, & tabularum imagine, tamquam lumine clariſſimo, quæ obſcura ſunt, illuſtret, quæ deleta aut immutata, priſtino habitu atque formâ repræſentet. In quo ſtadio & olim ingenia, nec minus memoria noſtra atque patrum, certaverunt. In illis STRABO antiſtat, tamquam princeps ceterorum, qui plura, quæ ſcripſit, peregrinabundus oculis ſubjecerat; parcus & modeſtus in ceteris. Quo inſtituto factum eſt, ut multa quoque prætereat: quædam leviter tantummodo attingat. Succinctior eſt POMPONIUS MELA; laxior C. PLINIUS SECUNDUS: ſed diffuſus CLAUDIUS PTOLEMÆUS, ideoque ſuſpectus ſæpe. Mirari enim ſubit, unde Ægyptius homo disjunctiſſimarum rerum tam certam, ut prodit notitiam acceperit. Æque enim in remotiſſimis, quo vixdum homines adjerant, copioſus eſt, nec dubius; ut in propinquis & notiſſimis. Plurimi faciendum ITINERARIUM eſſet, quod ANTONINI præ ſe nomen fert, a quibusdam ÆTICO tributum; ſi emendatius ad noſtra tempora perveniſſet: Sed multa locorum nomina incerta & pravata ſunt, & numeri, diſtantiarum indices, corrupti adeo, ut earundem quoque urbium intervalla, diverſis itineribus repetita, ſæpe aliter atque aliter referantur. De Characeno Dionyſio, & Periplorum auctoribus, aliiſque eadem brevitate geographis, jam nihil attinet commemorare: nec de Auguſtana Tabula, de qua infra plura dicemus. His ſi PAUSANIÆ periegeſin Græciæ, & Bizantium STEPHANUM, ſcriptorem populorum & urbium adnumeramus, eoſque cum hiſtoricis atque poetis aliiſque vetuſtis componimus; habemus fere omnia, unde notitia antiqui Orbis eſt colligenda. Hos enim duces clariſſimi viri ſequuti, Orbis veteris partes illuſtraverunt, PHILIPPUS CLUVERIUS Germaniam, Italiam, Siciliam; in Italia poſtmodum ab LUCA HOLSTENIO adjutus & emendatus: ADRIANUS VALESIUS Galliam: JACOBUS PALMERIUS Græciæ magnam partem, & alii partes alias. Qui univerſum Orbem induſtria pari expoſuerit, haud facile quemquam invenimus. Ortelii enim conatus magis, quam ſucceſſus ἀκριβέστερος laudandus eſt. Ego vero, quamquam impar ſuperioribus ingenio, amore tamen litteratum impulſus tentavi, ſuſtinui, perfeci quantum vides opus, quam feliciter, penes te, LECTOR, æquum ſit judicium. Non id quidem eſt æquale ſibi, ſi ex partibus metiaris: nec vero aliter poteſt fieri, quia totum nititur antiquitatis teſtimoniis, quæ de Italia Græciaque diligentius ſunt edita, quam de ulla vel provincia, vel regione barbarorum. Quo factum eſt, ut utriuſque deſcriptio, ſi cum reliquis conferatur, pæne nimis quantum excreverit; in ceteris autem regionibus, de quibus pauciora ſunt prodita, parcior etiam locorum & rerum ſit noſtra enarratio. Quid quæris? Antiqua Geographia res priſcæ auctoritatis eſt, non præſentis cognitionis. Tantum autem de auctoritate habemus, quantum a Græcis Latiniſque accepimus, qui res ſuas copioſius tradiderunt, modice aliorum, ad quos armis non *penetraverant*.

Primus liber PRÆCOGNOSCENDA hujus diſciplinæ habet, nec verò illa ultra limitem antiquitatis. Summa capita illorum ſunt: Priſcorum apparatus geographicus: Notitia rotunditatis terræ: Orbis habitabilis, ſeu οἰκουμένη, quantus antiquis fuerit, & quod illius medium ſive umbilicus: Terricolarum habitus cum inter ſeſe mutuus, tum ab umbræ diverſitate denominatus: Zonarum item uſus atque climatum: Ventorum vetus diſpenſatio, etiam Plagarum & Mundi laterum. Omnia hæc Antiquæ Geographiæ ſunt ita accomodata, ut *fines* ejus non excedant, neque aliis teſtimoniis, niſi antiquis, confirmentur.

Secundo libro EUROPA ita explicatur, ut veteres geographos cum hiſtoricis conferamus, & hos mutuo ex illis, illos ex hiſce interpretemur & illuſtremus: quibus & alii ſcriptores varii, antiqui tamen & pari auctoritate, poetæ in primis, Græci & Latini accedunt. Is enim uſus eſt Antiquæ Geographiæ, ut in priſcis litterarum monimentis expeditè, ſine offenſione, quam locorum ignoratio facit, quisquis legendo, interpretando poſſit progredi. Id enim munus eſt antiquarii geographi, ſcire quæ facies Orbis quondam fuerit, in quæ regna & imperia, in quas provicias, reſpublicas, & regiones diviſus, quibus ornatus oppidis & caſtellis, quæ montium, quæ camporum, quæ ſilvarum atque fluminum; ac marium quoque & inſularum nomina fuerint; *qui* fontes, qui lacus & paludes, & quæ alia ad geographorum diſciplinam pertinent. Hæc in tantum perſequuti ſumus, quantum vetuſtis litteris eſt proditum: ut tamen etiam poſteriorum, & recentium auctorum, judicio & doctrinæ fama illuſtrium, cujuſque in terra qua verſatus eſt maxime rationem idemtidem habeamus. Cujus ordinis nobis in Hiſpania ſunt Reſendius, Vaſæus, Mariana; & in citeriore, ſub Pyrenæo, vir ſummus Petrus de Marca: in Gallia ſupra laudatus Valeſius: In Britannia Camdenus & Buchananus: In Germania Cluverius, cujus ingenium etiam per Italiam profectum eſt, Holſtenio comitante, ſicut antea comites & ſocii hi duo itinere fuerant Italico. Græcia

quoque ſuos illuſtratores habet, quorum principes ſunt Joannes Meurſius & Jacobus Palmerius: quamquam ille in ritibus major, quam in geographia eſt; hic non omnem Græciam perluſtravit. Hos duces, quoties ſequendi ſunt, honoris cauſſa adpellamus; nec illos colere obliti, qui minores partes attigerunt, aut de uno alteroque loco commentati ſunt.

Supereſt, ut de TABULIS noſtris GEOGRAPHICIS, ære expreſſis, adjiciamus. Paucæ ſunt ſuperſtites tabellæ illuſtrando veteri Orbi antiquis temporibus adparatæ; nec tamen antiquiſſimis. AGATHODÆMON Alexandrinus geographicas Ptolemæi rationes in tabulas digeſſit, ſed, preſſe ſequutus auctorem ſuum, tantum habet fidei, quantum ipſe, de quo ſupra dixi, Ptolemæus. Exſtat & vetus Tabula, quam ex Conradi Peutingeri bibliotheca, in Auguſta Vindelicorum, Marcus Velſerus produxit, & æri incidi ac exprimi curavit, in octo ſegmenta oblonga diſtributam. Unde Peutingeriana vulgo adpellatur; item AUGUSTANA, & a quibuſdam THEODOSIANA, quaſi ex ævo Theodoſii, ut eruditis videtur, reliqua. Sed multis hæc nævis quoque vel deſcribentis vitio, vel auctoris ipſius, eſt referta; certior autem diſtantiarum numeris, quam Æthici ſeu Antonini Itinerarium. Quod vero per lineas in ortum procurrentes cuncta tradit, & adhuc maria compreſſa habet, flumina diſtorta; dubios ſæpe & incertos relinquit, qui verum locorum ſitum atque naturæ faciem inquirunt. Patrum memoria geographus clarus, ABRAHAM ORTELIUS, antiqui Orbis tabulas delineavit, quem plerique ſequuti ſunt, quibus curæ adhuc vetus fuit geographia, ut in iis adquieſcerent quæ ipſe poſuiſſet. Sed quidquid eſt hujus operis, non abſolutum id habendum eſt, ſed quod ipſe Ortelius CONATUS tantum GEOGRAPHICOS vocavit: cui ſi quis curam intenderit majorem, illico perſpiciet, quæ addi ſane, vel immutari, vel abjici etiam poſtulent. Eadem ratio eſt PHILIPPI BRIETII minorum per Europam tabularum, quas Geographiæ Parallelæ ſuæ non minus pro veteri, quam noſtræ ætatis Orbe inſertas eſſe voluit. Nitide quidem expreſſæ ſunt; etiam cum cura quadam videntur delineatæ: Quod vero tota Parallela illa Geographia per ſe conciſa, abſtinet teſtimoniis & rationibus; fit ut poſitio locorum, in tabulis ſignata, ægre ab aliorum diſſenſione vindicetur. Anguſtiores etiam ſunt illæ tabulæ, quam ut omnia, quæ neceſſaria ſunt, capiant, aut illa etiam, quæ tenent, clare ac diſtincte oculis objiciant: ut ita, qui veteres ſcriptores vult plenius interpretari, ſibi non poſſit ex illis proſpicere, quoniam innumera in iis fruſtra quæret, & quæ invenit, multa dubio ſunt ita loco conſtituta, ut, quod probationes nullas in commentariis adpoſitas habent, tam incertus aliquis recedat inde, quam dubius tabellas conſuluerat. Alii ſingulares partes in tabulis demonſtrandas ſuſceperunt, ut Græciam Laurembergius, Palæſtinam Adrichomius: Sed vix quiſquam felicius & cura etiam majori, quam Cluverius in Germania, & Italia, & Inſula Siculorum: Quem in his plerumque imitati ſumus; in nonnullis tamen, ubi meliora jam inventa habemus, ab illo ſeceſſionem fecimus. In ceteris provinciis plura emendanda, plura adjicienda erant, ut cum geographis antiquis tabulæ, maxime cum hiſtoricis, & horum æqualibus convenirent. Quo factum fuit, ut plane nunc novas Tabulas edamus, cum nullis ſuperiorum ubique congruentes; plures pleriſque locis ab illis diſcrepantes. Diverſitatis rationem commentariis, qui cum Tabulis una prodeunt, explicamus. Nec vero ad ſingula commentariorum capita ſingulas etiam Tabulas adjungimus, ſed in quibusdam plures, re ita exigente, ut in Italia & Græcia neceſſe erat fieri: Interdum una Tabula diverſis capitibus ſatis eſt, quemadmodum iis, quæ de inſulis Græcorum & circa Italiam ſunt, ex univerſalibus Græciæ vel Italiæ tabellis proſpiciendum eſt, quarum altera totum Ægæum mare cum inſulis exhibetur; altera inſulæ Sardinia & Corſica, interjectis multis tabulis, ita ſpatio primæ in Tyrrheno mari poſtulante, illuſtrantur. Viginti & unam nunc TABULAS habes LECTOR, cum primo Tomo, quo præter generalem partem, Europa omnis continetur: Propediem reliquas cum Tomo altero, complectente Aſiam & Africam, videbis. INDICEM quoque adjecimus ſolito copioſiorem: Etiam magis perſpicuum, quam ullum facile in geographia reperias. Quærenti per indices permoleſtum plerumque eſt, quod unius πολυσήμου vocabuli cauſſa, hoc eſt plura ſignificantis, multæ paginæ revolvendæ, perlegendæ ſunt: Quo labore hic Index liberabit, pleriſque nominibus (notiſſimis tantum prætermiſſis) adſcriptum habens diſtincto charactere, cujus regionis illud, aut provinciæ, aut gentis ſit, ne quid fruſtra & alienis locis quæras, ſed quod tuis curis, tuo inſtituto idoneum, primo intuitu deprehendas: idque non tantum iis, quæ uno vocabulo diverſa aut plura ſignificant, ſed aliis etiam, quæ rariora ſunt & minus nota, ita adpoſuimus, ut non tantum indicem rerum & verborum habeas, ſed brevem etiam dubiorum inter quærendum explicationem. Vale & boni conſule.

EJUSDEM CHR. CELLARII AD BEN. LECTOREM.

ALter nunc Tomus, qui reliquum Notitiæ Antiqui Orbis habet, hoc eſt Asiam, & Africam, in lucem exit, utriuſque faciem antiquam, quum Græci, Pœni, & Romani rerum potirentur, ex genuinis & antiquis auctoribus deſcribens. Et quum prior Tomus librum primum & ſecundum Antiquitatis Geographicæ comprehendat; hic poſterior tertium & quartum librum abſolvit. Liber tertius agit de Aſia; cujus pars citerior, in Perſidem uſque, a Græcis Romaniſque ſcriptoribus, etiam a ſacris & divinis celebrata eſt, ſed ita, ut ubique vel ſupplenda, vel dirigenda, vel explicanda multa reliquerint, quæ cuncta adjicere, diſponere, ac illuſtrare non ſane facillimi eſt laboris, quum ipſi antiqui ſcriptores perſæpe inter ſe diſſentiant; multas urbes quidem & gentes nominent, ſedem autem & poſitionem nequaquam oſtendant. In Europa faciliores rationes erant, quod in illa explicanda non ſolum Geographi veteres, ſed noſtra etiam ætate viri ſummi laboraverant, quemadmodum Philippus Cluverius in Italia & Germania; Hadrianus Valesius in Gallia; in Britannia Guilielmus Camdenus; in Græciæ parte Jacobus Palmerius non exiguum labori levamentum attulerunt. In Aſia autem & Africa hujus generis duces recentiores, qui viam per ſolitudines tantas, per tot barbaras & inauditas gentes præmonſtrarent, nobis defuere. Nec veteres diſtincte ac clare, aut plene ſua expoſuerunt, ſolo forſan Ptolemæo excepto, neque hoc tamen ſemper pleno, nec ubique certæ fidei. Palæſtinam quidem, ſeu ſanctam Terram, videntur multi & verbis & delineatis tabulis deſcripſiſſe, quorum exiſtimationi nihil equidem detractum volo: ſed quam ſæpe aberraverint a vero ſitu, ex ipſorum comparatione inter ſe, multis locis diſcrepantium, manifeſtum eſt, etiam ex noſtro fortaſſis opere patebit, qui in ſanctis illis regionibus, præter antiquos, vix duce alio ſumus uſi, quam Jacobo Bonfrerio in Euſebii librum ab Hieronymo verſum, item in Pentateuchum, Joſuam, & Judicum præclaris commentariis; & Joanne Lightfooto in Horis per Evangeliſtas Talmudicis. Sed quantula hæc portio eſt univerſæ comparata Aſiæ? Citerior quidem illa, Ægæo, Pontico, & Mediterraneo maribus incluſa, theatrum fuit rerum geſtarum, tam civitatibus Græcis, quam Romanorum bellis illuſtratum; quam etiam alumnus Strabo diligentius per ſingulas fere partes enarravit: nec vero ex illo ſunt plana & explicata omnia, ſed multa aliunde, ubi diſperſa latent, conquirenda, ut plenior fiat expoſitio. Quæ ulteriora ſunt, plus difficultatis habent & operæ: extrema denſis tenebris ſunt involuta, luce hiſtoriarum deficiente; & vel ſola Ptolemæi fide nituntur, niſi qua Alexandri expeditio tractum aliquem, ab illo peragratum, illuſtriorem reddit; quamquam & in hoc ſcriptores ſæpe numero diſſentiant. Africæ interiora ſunt minus cognita, in quibus itidem Ptolemæo plurima debemus, dubii quam certo, quia in notioribus non raro diverſus eſt a ceteris. Quæ in ripis Nili ſunt ad oram Mediterranei maris, copioſius deſcripta invenimus, etiam multa illorum declarata ſunt hiſtoriis: nec vero, ubi Romani res geſſerunt ſuas, expedita, & explicata ſunt omnia, ſed non pauca in dubiis & incertis relinquuntur. Tabulæ veteres Ptolemæi adjectæ Geographicis libris, ſive ab Agathodæmone ſunt, ſive ab alio; fidem eamdem merentur, quæ ipſius eſt Ptolemæi, ad quam illæ ſunt compoſitæ. Nos Tabulas octo Aſiæ; quinque Africæ illuſtrandæ addidimus, ſtudio noſtro diſpoſitas, noſtraque manu delineatas: in quibus, Lector, mirari nolis, quod nonnullis locis illæ convenire minus videntur. De induſtria illud factum eſt, maxime in Euphratis, & Tigris decurſu & anfractibus, aliorumque cum illis amnium, Chaboræ, verbi gratia, confluente: in quibus nec hodie tabularum conditores conveniunt. Qui enim in illis locis peregrinati ſunt, nihil certi de fluminu ductu illorum tradiderunt. Unde eſt, quod in Syriæ tabula cum vulgo Euphratem delineavimus: in Meſopotamiæ, ſecundum Ptolemæum, aut Agathodæmonem: quos ex recentioribus etiam clari viri adhuc imitati ſunt. Poſſet error, vel dubietas facile per Europæos negotiatores corrigi, niſi major cura illorum in mercimoniis, quam in veritate geographica eſſet. Principio Orientem, qui poſt Syriam & Palæſtinam eſt, tabula una complexus eram, quæ etiam in Armenia, Media, Perſide, Parthia, finitimiſque, & ab Alexandro percurſa India ſufficere poteſt, quod pauca illorum ex veterum monimentis ſunt cognita. Quum vero id ſpatium non capiat quæ circa Euphratem ſunt, & Arabiam; ſingulares tabulas de iis adjeci, ut quæ Orientis tabula conſpectu brevi exhibentur, his proponantur explicatiora. Addita Tabula Scythiæ, Sericæque, Ptolemæo potiſſimum auctore, quum deſint alii; ut, quantam veteres de *iis* cognitionem habuerint, etiam quodammodo intelligatur. Obſcuriſſima quædam gentium, & oppidorum nomina, ſed gentium magis, Plinio aut aliis memorata, prætermiſimus, quia turbate ſunt enarrata, nec ordinari, aut ſua diſponi ſede poſſunt: quo Notitiæ noſtræ adeo nihil puto decedere, ut verear potius, ne tœdio multis futurum ſit lectoribus, ſimilia nomina, de quibus nihil ex hiſtoriis conſtat, ex Ptolemæo me plurima attuliſſe. Sed nolui præterire, quibus idem auctor certum ipſe locum adſignaverat: quod, quia in ceteris deſideratur, utique excuſatius illorum quædam, metu tœdii adferendi, & quod nullius uſus erant, ac incertæ poſitionis, a nobis ſunt poſthabita. Tandem etiam, quod uterque Tomus prodit, ſignificatum monitumque volo iterum, me ſolam nunc antiquam Geographiam a principio imperiorum uſque ad Conſtantini tempora exhibere. Sunt quidem ex medio etiam ævo nonnulla ei inſerta, ſed partim quod itinera ita ferebant, Antonini maxime, partim quod oppidorum ætas incerta erat, quamquam ab antiquis non fuerant commemorata. In ipſis antiquis ſi diſſentitur, illorum partes ſequuti ſumus, qui fidem habent probabiliorem; ubi concordia eſt, illam numquam deſeruimus. Auctorum veterum teſtimonia, genuinis ubique verbis adpoſita, nos ſatis, ſpero, in omnibus tuebuntur. Vale, benevole Lector, nobiſque, & ſtudiis noſtris fave.

ADDITAMENTUM
DE NOVO ORBE
AN COGNITUS FUERIT VETERIBUS.

I.

AMERICAM a ducentis amplius annis ſollertium hominum ſtudio detectam fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. An eadem etiam Antiquis fuerit cognita, difficulter judicatur. Silentium Geographorum, & Hiſtoriarum conditorum non levi argumento eſt, quo veteribus innotuiſſe negemus. Accedit difficultas navigandi ſine pyxide nautica, qua deſtituti priores haud procul a litore navigabant, oram legentes, ægre ſe medio committentes mari. Quis inde credet, vaſtum Oceanum, qui inter Americam, & Europam, aut Africam eſt, ſponte ac conſilio ſubiiſſe, & emenſos eſſe, ac ſæpius trajeciſſe, revertiſſeque feliciter?

II.

Nihilominus ſunt rationes non pœnitendæ, quæ perſuadere fortaſſe poſſint, ſaltem probabile reddere, non plane ignotum fuiſſe Antiquis Orbem illum, ſeu ampliſſimas regiones, quæ trans mare ſunt Atlanticum. Nam Africam circumnavigatam fuiſſe, quamquam raris exemplis, tamen multorum teſtimoniis videtur demonſtrari poſſe. Herodotus lib. IV. cap. XLII. tradit, Phœnices, a Neco Ægyptiorum Rege miſſos, e Rubro Mari ſolviſſe, & biennio conſumto veniſſe ad Columnas Herculis, & per illas remeaſſe in Ægyptum. Et Plinius lib. II. cap. LXVII. refert, Hannonem Carthaginienſem *a Gadibus ad finem Arabiæ circumvectum* eſſe. Et, auctore Cornelio Nepote, recenſet, Eudoxum quemdam, quum Lathurum regem fugeret, *Arabico ſinu egreſſum, Gades uſque pervectum*; item, Q. Metello Celeri, Galliæ Proconſuli, *Indos a rege Svevorum dono datos: qui ex India commercii cauſſa navigantes tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti*. Sed ut hi, ita & alii tempeſtate ac caſu abrepti navigarunt, aut, ſi conſilio, litora tantummodo legerunt, quod nihil adfert ad immenſi Oceani trajectionem.

III.

Nihilominus de iis, quæ trans Oceanum ſunt, non nihil tradiderunt, e quo colligas, notitia illorum non omni fuiſſe deſtitutos. Platonis inſula *Atlantis*, in Atlantico Oceano ſita, videtur rem conficere: de qua in Timæo, & Critia mira perſcripſit. Ibi pag. 475. *Traditur veſtra civitas reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope cunctam Europam & Aſiam obſederant*. τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος. νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν, ὃ καλεῖτε (ὡς φατὲ ὑμεῖς) Ἡρακλέους στήλας. ἡ δὲ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων. *Tum enim navigabile illud mare erat. Inſula enim ante oſtium habebat, quod vocatis, ut ipſi dicitis, Herculis columnas. Inſula autem major eſt, quam Africa & Aſia ſimul ſumtæ*. Repetit in Critia poſt principium, præſertim quod ad magnitudinem inſulæ attinet. Hæc vero ſi tanta fuit, non videtur ab America abludere.

IV.

Sed obſtant alia; vicinitas oſtii ad Columnas Herculis, ante quod dicitur ſita fuiſſe, a quo longiſſime abeſt America: deinde regium illius inſulæ imperium, quo Europam uſque Etruriam, Africam uſque Ægyptum poſſederint; etiam bellum cum Athenienſibus geſtum; & inſulæ ulteriores in quas ex Atlantide navigatio inſtituta fuerit; cum ipſa magnitudine vaſtiſſima, & quæ præterea Critias a Solone in Timæo dicitur accepiſſe, fabulæ, quam hiſtoriæ, ſimiliora. Quamobrem interpretum multi allegorice hæc explicant; a ſenſu, quem littera fert, recedunt. Neque id pronum ad fidem eſt, quod additur ibidem, terræ motu & tempeſtatibus concuſſam inſulam ſubſediſſe, ipſumque mare, quod inſulam obruiſſet, propter limum, & cœnum navigari amplius non poſſe. Quid multa? ait, ἠφανίσθη, *diſparuit* inſula, nuſquam ſupereſt.

V.

V.

Sed miſſa Platonis Atlantide, aliorum opiniones, vel divinationem de terris trans Oceanum audiamus. Antiquiſſima eſt traditio, quam Ælianus lib. III. Variar. cap. XVII. ex Teopompo refert, dixiſſe Silenum Midæ regi in colloquio, *Europam, Aſiam, Africam inſulas eſſe, quas undique Oceanus circumfluat:* ἤπειρον δὲ μόνην εἶναι ἐκείνην τὴν ἔξω τούτου τοῦ κόσμου, *continentem vero unicam eſſe illa, quæ extra hunc mundum exiſtit*. Non dubitanter hic, ſed pro certo dicit, extra notum orbem, id eſt Africam, Aſiam, & Europam eſſe unicam & majorem continentem, quæ alibi eſſe non poteſt, quam trans Oceanum, illas notas partes, quas inſulas vocant, ambientem.

VI.

Cautius, propiuſque a vero Ariſtoteles de Mundo cap. III. ἡ οἰκουμένη σύμπασα μία νῆσός ἐστιν, ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιῤῥεομένη. πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας εἰκὸς τῆσδε ἀντιπόρθμους ἄποθεν κεῖσθαι τὰς μὲν μείζους αὐτῆς, τὰς δὲ ἐλάττους, ἡμῖν δὲ πάσας, πλὴν τῆσδε, ἀοράτους. *Omnis habitata terra una inſula eſt, mari, quod Atlanticum dicitur circumdata. Probabile autem, multas alias, huic procul trans mare obverſas eſſe, majores hac noſtra quaſdam, quaſdam minores; omnes tamen, præter hancce, nobis inviſas*. Dum εἰκὸς, *probabile* dicit, modeſte loquitur, non temere adſeverat, non incerta relatione inductus, ſed ſua perſuaſus ratione, eſſe in tam vaſto terrarum orbe plures poſt Oceanum terras, quam quas cognitas habemus; quia probabile, alteram, & majorem partem pariter, ut noſtram, eſſe maribus, & terris diſtinctam, non totam aquis oppletam: & illas ἀντιπόρθμους vocat, id eſt, mari noſtro ex altero latere oppoſitas terras.

VII.

Poſtquam autem Fortunatæ Inſulæ, ſive Canariæ repertæ fuerunt, minus de aliis, & majoribus Inſulis ſive terris dubitatum eſt: quidam vero Atlantidem cum Fortunatis confuderunt, in quibus Diodorus eſt Siculus lib. V. cap. XIX., unam permagnam Inſulam dicens in Occidentali Oceano eſſe, plurium dierum navigatione disjunctam ab Africa, eamque fertilitate tanta, amœnitateque, etiam tam ſalubri aere, fontibus, fluminibus, ut θεῶν τινῶν, οὐκ ἀνθρώπων ἐμβιωτήριον, *deorum quorundam, non hominum domicilium* videatur. Sed hæc fabulæ multum admixtum habent, ſicut & reliqua Theopompi, quæ dicto loco Ælianus enarrat, pleraque ſunt fabuloſa, in quibus & *Meropis terra* Theopompi, quam Apollodorus apud Strabonem lib. VII. pag. 207., ut fictam, rejicit.

VIII.

Ariſtoteles ſupra modeſte, cauteque ſenſit de iis, quæ trans Oceanum dicantur poſita: at libro de Mirabilibus Auditis, ſi idem utriuſque auctor eſt, confidentius ſcribit, in mari extra columnas Herculeas quondam Carthaginienſes inſulam inveniſſe ἐρήμην, *hominibus vacuam*, cetera rebus omnibus abundantem, in qua ſæpius Carthaginienſes navigarent, quidam etiam ob loci felicitatem ibi ſedem figerent; vetuiſſe Senatum Civitatis ſub capitali ſupplicio, ne quis in poſterum in illam navigaret, ne quid Carthaginis felicitati detraheretur. Sed & hoc in incertis relinquendum: quod etiam, ſi vera ſit hiſtoria, haud eſt ſufficiens, ut Americanas Carthaginienſium navigationes nobis perſuadeat: nec cum Atlantidis fabula conſentit, quæ πολυάνθρωπος deſcribitur, quaſi reges habeat, exercitus emittat; quum hæc ἐρήμη fuerit, hoc eſt, nullis habitata hominibus.

IX.

Nihil ergo amplius, quam conjecturam transmarinæ terræ, veteribus patuiſſe, admodum probabile eſt, cui neſcio qua divinandi arte ſpem futuræ detectionis adjecerunt. In his eſt Seneca, tragicus poeta, in Medeæ actu II. extremo:

Venient annis ſæcula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tethyſque novos detegat orbes,
Nec ſit terris ultima Thule.

Non vane dictum, quia eventus reſpondit. Unde vero notitia? ex ſola ratione, an rerum etiam experientia? nihil certi definire poſſum: probabile tamen eſt, alterum orbem non plane antiquis ignotum fuiſſe, & omnino quoſdam in eum invectos revectoſque, qui famam de eo ſparſerint: utrum caſu autem in illum inciderint, an conſilio & inquirendi ſtudio profecti, divinare non poſſumus.

X.

At fabuloſæ ſunt veterum narrationes. Eſto fabuloſas eſſe, ſeu fabulis permixtas, ut ſolet de rebus peregrinis & longiſſime remotis; non autem quæ fabuloſa ſunt, propterea ſunt penitus falſa. Quid fabuloſius freto Siculo? nec vero ipſum propterea fretum negatur. Sub fabulis etiam aliquid veri plerumque latet, quæ ſeparanda ſunt, quod Macrobius lib. I. Somn.

Scip. cap. II. dixit, *ſabulas a ſabuloſis ſecernere*. Multi in hoc argumento verſati ſunt, ſed præcipue clariſſimi nobiſque amiciſſimi viri JACOBI PERIZONII modeſtiam probamus, qui Æliani dictum locum ita commentatus eſt: *Fabuloſa hæc ducit & fabulis accenſet Meropida hanc terram tum Noſter* (Ælianus) *tum Apollodorus apud Strabonem* lib. VII. (pag. 207. ed. Caſaub.) *Et merito. Nullus tamen dubito, quin veteres aliquid crediderint, vel ſciverint, ſed quaſi per nebulam & caliginem, de America, partim ex antiqua traditione ab Ægyptiis, vel Carthaginienſibus accepta, partim ex ratiocinatione de forma & ſitu orbis terrarum: unde colligebant, ſupereſſe in hoc orbe etiam alias terras præter Aſiam, Africam, & Europam*. In hac viri eruditiſſimi fententia adquieſcimus: quæ addunt alii, cum incertis & fabuloſis miſſa facimus: atque ita in his extremis & extra orbem notum poſitis finimus Notitiam Orbis Antiqui.

EDI-

EDITORUM DE SEQUENTI OPUSCULO, ET TABULA
MONITUM.

Habes hactenus, L. B., quæ in Appendicem conjicienda duximus. Nunc ut induſtriam noſtram, ſeu ſtudium potius pulcherrimam facultatem pro noſtra virili exornandi, tuique magis demerendi, tibi probaremus, præclarum antiquitatis monumentum, quod paucis abhinc annis Romæ extra portam Capenam effoſſum eſt, a Viro doctiſſimo Rogerio Joſepho Boſcovich perquam docta, & eleganti epiſtola illuſtratum adjiciendum putavimus. Idque ipſum eruditorum quorumdam Virorum, nobiſque amicitia conjunctorum conſilio, & ſuaſu fecimus: qui item nos de eo Monumento, de quo nihil quidquam antea inaudiveramus, primi certiores fecerunt; quod ſi ne tibi quidem hactenus ipſum innotuit, ſcito, relatum ipſum fuiſſe a V. C. Paullo M. Paciaudo in libro, qui inſcribitur: MONUMENTA PELOPONNESIA, ex quo ipſi & monumenti deformationem, & adjunctam Boſcovichii Epiſtolam excerpſimus. Nonnulla etiam in illud Cl. Paciaudus commentatus eſt; ſed ea, quod non ita propius ad noſtrum inſtitutum pertinere arbitrati ſumus, conſulto putavimus omittenda. Quod ſi ejuſmodi te philologa valde capiunt, ſatis ſit nobis ad fontem, unde haurire abunde poſſis, digitum intendiſſe. Vale igitur iterum B. L., noſtramque ſedulitatem ama.

ROGERII JOSEPHI BOSCHOVICH
AD V. C. PAULUM M. PACIAUDUM DE VETUSTO ANEMOMETRO
EPISTOLA.

Præclarum monumentum, quod nuper apud te vidi, Vir celeberrime, & diligentiſſime eorum omnium, quæ ad illuſtrandam antiquitatem pertinent, conquiſitor, eſt omnino, ut ipſe vidiſti ſtatim, Anemometrum *quoddam, ſeu mavis* Aurologium *nominare; quod vocabulum Salmaſius ſuſpicatur fuiſſe olim apud Varronem* de Re ruſtica *lib. 3. agentem de monumento ejuſdem generis erecto olim Athenis ab Andronico Cyrrheſte, corruptum deinde librariorum vitio, & commutatum in* Orologium, *abeunte, ut in aliis vocibus,* Au *in* O. *Id nimirum pertinebat ad dignoſcendam directionem venti ſpirantis, & omnia, quæcumque in hoc marmore intueor, ad ventos ſpectant, nimirum vel ad determinandam methodum, qua ad eorum diviſionem, ac diſpoſitionem eſt uſus Europius ille, ſive is inſtrumentum delineaverit primus, ſive ab alio inventum deſcripſerit, vel ad ventorum, qui ſpirarent, directionem inveniendam.*

In verticali cylindrica faſcia videre eſt duodecim ventos eodem ordine, & iiſdem nominibus, quæ habentur apud Plinium Hiſtor. Nat. lib. 2. cap. 46., & vero etiam apud Senecam Natural. quæſtionum lib. 5. cap. 16., qui hanc diviſionem & Varroni tribuit. Alii autem alium ponebant numerum. Antiquiſſimi binos, alii quatuor Homero etiam notos, ſpirantes ex iis, quos cardines dicimus horizontis: alii 8, ut ille ipſe Andronicus Cyrrheſtes in ſuo octogono, alii etiam 24, ut Vitruvius poſuerunt. Seneca tamen Phœnicis nomini ſubſtituit Euronotum, & pro Borea Aquilonem ponit, quem Plinius Romana cum Græcis conjungens nomina ſimul uſurpat cum Borea. Bini occurrunt ſupplendi parte ſui poſtrema, nimirum ex parte Orientali Apheliotes, & ipſi proximus Cæcias. Idem Apheliotes hic ſcribitur per Φ, ut apud Senecam, & *Ariſtotelem, qui apud Plinium per π. Libs, & Libonotus hic per* i, *ut apud Senecam, qui apud Plinium per* y, *at apud Senecam dicitur* λί↓. *Aparcias autem apud omnes, quos viderim, dicitur* Aparctias, *nimirum ab Arcto, omiſſo hic* t *ab inſculptore. Porro hic ordo, & nomenclatura tuetur fidem Plinianorum Codicum, & impreſſorum exemplarium cum Harduino contra importunas correctiones, quas in margine ſuæ editionis perperam oggeſſit Dalecampius, ut & contra aliam Longolii correctionem, quæ habetur apud Harduinum in eum locum.*

Rectas lineas, quæ habentur in eadem faſcia, arbitror appoſitas ad definiendos arcus Horizontis, qui ſingulis ventis tribuuntur; ita ut foramella ad ſuperficiem horizontalem pertinentia reſpondeant mediis ipſis arcubus, & mediam venti ſedem determinent; ſed id aliquando laxius obſervatum video, potiſſimum ubi longiora nomina ampliore ſpatio indigebant. Rectæ, quæ habentur in plano horizontali, pertinent ad ipſam diviſionem ventorum, & deſumptæ ſunt ex Sphæra Mundana, ex qua ipſas & Seneca deſumpſit, ſed bini hic circuli commutati, & reliqui adhibiti una cum iis paullo aliter. En ipſius Senecæ verba loco citato. Qui 12. ventos eſſe dixerunt, hoc ſecuti ſunt, totidem ventorum eſſe, quot Cæli diſcrimina. Cælum enim dividitur in circulos 5., qui per mundi cardines eunt &c. *A quibus Seneca, & a Meridiano, ac Horizonte, quos addit, deſumptam ventorum diviſionem arbitratur.*

Tres illos Senecæ circulos Solſtitialem, Æquinoctialem, Brumalem *in tuo agnoſcis marmore, Vir præſtantiſſime, iiſdem vocibus expreſſos. Reliqui bini ſunt apud Senecam Circuli Polares (ut communiter appellantur a Græcis) Arcticus, & Antarcticus, ut patet ex ipſa illa voce* contrarius ſeptentrionali, *derivata ab* Antarctico. *In tuo marmore commutantur iidem, credo, in alios duos, qui ad ſphæram itidem pertinent; & ſunt ii, qui dicuntur* circulus ſemper apparentium, & circulus numquam apparentium; *qui ſunt maximi omnium extantium penitus ſupra horizontem, & depreſſorum penitus infra ipſum, & qui ſoli cum Polaribus binis inter infinitos eadem proprietate præditos delineari ſolent in analemmate, ut videre eſt in analemmatis delineatione in ipſo ingreſſu Gnomonicæ apud Clavium; ex quo analemmate apud veteres notiſſimo, & adhibito in primis ad Horologiorum Solariorum delineationem ab ipſo Vitruvio, videtur, omiſſis nonnullis, delineatum hoc ipſum hujuſce marmoris ſchema.*

Ceterum illos extremos hic etiam eſſe binos ſphæræ circulos, quorum alter ſit totus ſupra, alter totus infra Horizontem, evidentiſſime patet ex eo, quod cum in ceteris tribus ſubintelligatur vox circulus, *ut ſint* circulus Solſtitialis, circulus Æquinoctialis, circulus Brumalis, *in reliquis itidem ſupplenda ſit eadem vox, & legendum* circulus totus ſupra terram, circulus totus infra terram; *nec dubium eſt* ſupra, & infra terram *idem valere, ac* ſupra, & infra Horizontem. *Porro ne Polares ipſos hic intelligam, facit ipſa diſtantia a puncto medio Aparctiæ, & Noti, quæ hic iis debitæ diſtantiæ eſt pluſquam dupla, errore majore multo, quam ut in Inciſorem rejici queat. Bene autem* circulus totus ſupra terram *ponitur ad partes Aparctiæ, nimirum ad Septentrionem; nam ad eam partem Polus elevatur ſupra Horizontem.*

Diſcrimen adhibendi hoſce circulos inter Senecam, & hujuſce inſtrumenti Auctorem eſt illud, quod Seneca adhibet eorumdem circulorum interſectionem cum Horizonte ad ipſas ventorum plagas deſignandas, in hoc autem marmore adhibetur ea ipſorum projectio, quæ adhibetur in analemmate facto ſecundum planum ipſorum in ipſum Meridiani planum per lineas perpendiculares eidem, quo nimirum pacto ii circuli in rectas abeunt, Seneca ſic habet. Ergo Horizon, ſive finiens circulus, quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, ſecat, & efficit decem partes, quinque ab Ortu, quinque ab Occaſu. Meridianus circulus, qui in Horizontem incurrit, duas adjicit. *Et quidem eo pacto bene definiri poſſunt plagæ ventorum octo, quorum*

bini

* * * *

bini ad Septentrionem pertinent, & Meridiem, reliqui ſex ad Ortus, & Occaſus Brumales, & Solſtitiales; per quos Ortus, & Occaſus eos definiunt Plinius etiam, & Ariſtoteles, & veterum plerique paſſim. At reliqui quatuor ea ratione definiri non poſſunt, cum Polares circuli in Horizontem locorum extra Zonam Torridam poſitorum non incurrant, ut nec ulli alii extantes ſupra Horizontem, & depreſſi infra. Quamobrem ipſe Seneca, qui id ſane vidit, ita orditur id caput: Placet autem 12. ventos eſſe, non quia ubique tot ſint (quoſdam enim inclinatio terrarum excludit), ſed quoniam plures nuſquam ſunt. At Plinius, qui viderat partitionem ventorum in 12. in ipſa Græcia adhibitam pertinere ad Zonam etiam Temperatam, nullos adhibuit ſphæræ circulos ad eorum plagas deſignandas, ſed 4. illos, quos Seneca a Polaribus repetit, ponit medios inter eos, qui pertinent ad cardinem Septentrionalem, & Meridionalem, ac eos, qui pertinent ad Ortus, & Occaſus Tropicos.

Ut id incommodum vitaret huiuſcę monumenti auctor projectionem illam in Meridianum circulum ex analemmate aſſumptam adhibuit; nam ipſi illi extremi ejus duo circuli, ut innui, Horizontem non ſecant; quem deinde Meridianum circulum Horizonti rite applicavit. In ea delineatione habentur quidem errores hic aliqui, qui mihi indicant bujuſce inſtrumenti deſcriptionem eſſe minus accuratam. Diſtantia binorum Tropicorum ab æquatore deberet eſſe graduum $23\frac{1}{2}$, at in exemplo ad me tranſmiſſo eſt graduum circiter 20. errore graduum $3\frac{1}{2}$, non ingenti illo quidem, ſed adhuc notabili. Diſtantia in methodo Senecæ, & apud eos omnes, qui Ortu, & Occaſu utuntur Brumali, & Solſtitiali, debet eſſe adhuc multo major, quam graduum $23\frac{1}{2}$, æqualis nimirum, non declinationi Tropicorum, ſed amplitudini Ortivæ, & Occiduæ, quæ ubique in ſphæra obliqua eſt major declinatione ipſa, & hic Romæ eſt graduum proxime 32.; quam ipſam ob rem miror ſane, Ricciolium diligentem ceteroquin veterum ſententiarum indagatorem, ac relatorem, ponere lib. 2. cap. 17. Almageſti pro Plinii, & Varronis ſententia (quem poſteriorem Seneca ſequitur, qui ejus ſententiam conſervavit, nam apud Auctorem ſuum periit) diſtantiam ventorum lateralium hinc, & inde ab Apeliote, & Zephyro graduum $23\frac{1}{2}$, quæ debet eſſe tanto major :; & multo magis miror, pro ventis lateribus hinc, & inde ab Aparctia, & Noto ponere diſtantiam itidem graduum $23\frac{1}{2}$, cum ii apud Senecam pro Zona Temperata ſint nulli, apud Plinium vero longe aliter definiantur.

In hiſce, qui adjacent Aparctia, & Noto error eſt duplo circiter major in eorum diſtantia ab Æquatore circiter duplo majore. Deberet eorum diſtantia ab Æquatore eſſe æqualis complemento Polaris altitudinis; nam circuli ſemper apparentium, & numquam apparentium diſtant a Polis, quantum ii ab Horizonte, nimirum per ipſam Poli altitudinem, adeoque ab Æquatore deberent diſtare per ejus complementum. Id hic Romæ eſt graduum 48. cum Poli altitudo ſit proxime 42. Eſt autem diſtantia in hoc marmore juxta exemplum ad me miſſum graduum 41., ſed & in ipſo marmore, ubi primum id apud te inſpexi, animadverteram aliquot gradibus minorem eſſe eam diſtantiam angulo ſemirecto.

Suſpicabar initio, marmor delineatum fuiſſe pro aliqua regione aliam habente Polarem altitudinem, tum Romam tranſlatum, quod & aliis monumentis accidiſſe novimus; at altitudo Poli tanto major, nimirum 40., cui hæc reſpondet diſtantia longe ultra omnem Græciam, & cultas antiquitus regiones protenditur, Ex alia parte error graduum 7. in diſtantia graduum 48. ſatis belle reſpondet errori graduum $3\frac{1}{2}$, in diſtantia $23\frac{1}{2}$; & idcirco ſuſpicari licet etiam, Fabrum adhibuiſſe ad eruendas ejuſmodi diſtantias ſcalam aliquanto breviorem juſto; niſi & illud quis velit, erraſſe Artificem ſubſtituendo complemento Polaris altitudinis altitudinem ipſam, quem errorem & nunc Tyrones committunt ſæpe in Horologiis Solaribus delineandis potiſſimum.

Verum ii errores pretium præclari monumenti tui non minuunt, quo non ad determinandam ventorum nunc ſpirantium directionem, ſed ad cognoſcenda Antiquorum placita debemus uti. Id autem ſingulare ſane, quod ſciam, in ſuo genere eſt, quod mortuam jam olim, & conſepultam de ventorum plagis ſententiam exſuſcitat, ab iis, quas apud Auctores, quos ego viderim, vidi autem plures, plurimum diverſam; quam ob ipſam rem tam pretioſi monumenti adeptionem tibi etiam atque etiam gratulor. Supereſſet inquirendum in ætatem monumenti; verum id quidem ſi ulla ratione illuſtrari poteſt, Tu id unus optime totius antiquitatis peritiſſimus præſtare poteris. Fruere interea præclariſſimo tui Muſei ornamento, & cultiora ſtudia perge in dies magis exercere, ac fovere, ut facis. Vale.

ROMÆ, in Collegio Romano pridie Idus Julias anno 1759.

INDEX
GEOGRAPHIÆ ANTIQUÆ Prior

A

ABa, *Abus* mons *Armen.*, Tab. xxxiii, Strabo lib. xi pag. 363, Plin. lib. v cap. 24, Ptolem. lib. v cap. 13, Salmaſius cap. 37
Abacænum *Sicil.*, Tab. xvii, Diodorus de Rege, Dionyſ. lib. xiv cap. 79, 91
Abæ *Phocid.*, Tab. xx, Herodotus lib. viii cap. 28, Pauſan. Phoc. cap. 35
Abarim mons *trans Jordan.*, Tab. xxv, Deuter. xxxii, & xxiv
Abathuba opp. *Marmar.*, Tab. xxx
Abdèra *Thrac.*, Tab. xxi, Thucydid. lib. ii pag. 167, Strabo lib. xiv pag. 443, Plin. lib. xxv cap. 8, & lib. iv cap. 11, Livius lib. xliii, Solinus cap. 10
—— *Hiſp.*, Tab. iii, Plin. Ptolem. Steph., Strabo.
Abdon opp. *Galil.*, Tab. xxv, Joſue xxi Joſeph. lib. xix cap. 28
Abea *Meſſen.*, Tab. xx, Pauſanias cap. 30, Plin. lib. iv cap. 6, Ptolemæus.
Abela opp. *trans Jord.*, Tab. xxv, Polybius lib. v cap. 71
Abella *Campan.*, Tab. xv, Virgil. lib. vii. v. 740, Silius lib. viii. v. 544, Frontinus de colon., Juſtin. lib. xx cap. 1
Abellinum *Hirpinor.*, Tab. xv, Frontinus de colon., Plin. lib. iii cap. 11
—— Marſicum opp. *Lucaniæ*, Tab. xv, Plin. lib. iii cap. 11, Ptolem., Frontinus.
Abere opp. *Arab. Deſ.*, Tab. xxvi
Abii pop. *Scyth.*, Tab. xxix, Curtius lib. vii cap. 6, Ammianus lib. xxiii cap. 25, Homerus Iliad. v. 6, Strabo lib. vii p. 204
Abilene *Regio Syriæ*, Tab. xxiv
Abila opp. *Syr.*, Tab. xxiv, Joſeph. lib. xiv cap. 23, & lib. xv cap. 4, Polyb. lib. xxvi, Plin. lib. v cap. 18, Notit. Eccleſ.
Abliala opp. *Alban.*, Tab. xxiii
Abnoba mons *Germ.*, Tab. vii, Plin. lib. iv cap. 12, Tacitus de Germ. cap. 1, Feſtus Avienus, v. 437
Aboca fl. *Hiber.*, Tab. vi
Aboccis opp. *Æthiop.*, Tab. xxxiv, Petronius lib. vi cap. 29, Plin., Ptolemæus.
Abonitichos *Paphlag.*, Tab. xii, Lucianus, Themiſtius Orat. xxvii p. 333, Spanhemius p. 177, Heracleota ſub fin. Peripli.
Abragana opp. *Scyt.*, Tab. xxix
Abrinca fl. *Belg.*, Tab. v
Abrincatui pop. *Gall.* Ptol. Not. Imper.
Abrotonum opp. *Afric.*, Tab. xxxii, Strabo, Plin., Stephanus, Scylax.
Abſarus fl. *& Caſtel. Colch.*, Tab. xxiii, Plin. lib. vi cap. 4
Abſyrtides inſ. *Illyr.*, Tab x., Strabo lib. vii p. 484, Plin. lib. iii cap. ult., Mela.
Abula aqua *Sabin.*, Tab. xiv, Livius lib. i cap. 3 idem lib. iii cap. 5., Virgil. lib. viii v. 330
—— *Baſtinat.*, Tab. iii., Ptolem.
Abuncis, *vide* Aboccis.
Abus fl. *Britann.*, Tab. vi
Abydus opp. *Troad.*, Tab. xxii, Strabo, & Euſtath. ad Dion. v. 516, Ovid. lib. i Triſt. Eleg. ix v. 28, Polyb., Herod. lib. vii cap. 34, Lucanus lib. ii Pharſal. v. 672
—— *Ægypt.*, Tab. xxx, Plin. lib. v cap. 9, Zoſim. lib. i cap. 71. Theodor. lib. i cap. 7.
Abyla Columna *Herculis*, Tab. xxxiii, Ptolemæus.
Acabis opp. *Cyren.*, Tab. xxx
Acalandrum fl. Tab. xv, Plin. lib. iii cap. 11, Livius lib. i cap. 18, & lib. xxvii cap. 42
Acamas promont. *Cypri*, Tab. xxii, Strabo lib. xiv, Plin. Agathemerus lib. i cap. 4, Lucianus p. 859, Meurſius de Cypro cap. 2, & 3
Acanthus *Macedon.*, Tab. xix, Strabo lib. vii p. 510, Herodotus lib. vii cap. 121, Plin. lib. iv cap. 10, Heracleota p. 27
Acanthus opp. *Ægypt.*, Tab. xxxi, Strabo p. 556
Acarnanes pop. Tab. xviii, Strabo lib. x p. 311, Polyb. lib. v cap. 96, Curt. lib. iii cap. 6, Silius Italic. lib. xv v. 588, Livius lib. xxxiii cap. 17, Strabo lib. viii
Acatucci opp. *Bæticæ*, Tab. iii
Accana empor. *Æthiop.*, Tab. xxxiv, Arrianus in Periplo.
Accaron vicus *Jud.*, Tab. xxv, Hieron. de Locis Hebraic.
Acci Colon. *Hiſp.*, Tab. iii, Plin. lib. iii cap. 3 Gruter. p. 271
Accipetrum inſ. *Sardin.*, Tab. xi
Acelum *Venet.*, Tab. xii, Paulus Diac. lib. iii cap. 26
Acerræ *Campan.* Tab. xv, Virgil. lib. ii, Georg. v. 225, Livius lib. xxiii cap. 17, & lib. viii cap. 17, Frontinus de Colonis.
Aceſines fl. *Ind.*, Tab. xxviii, Nonnus Dionyſ. lib. xxiii v. 276, Arrianus lib. vi cap. 8, Strabo lib. v p. 1017
Achæa vicus *Boſphor.*, Tab. xxiii, Ptolem.
Achæmenes pop. *Africæ*, Tab. xxxii
Achaja Rom. Provinc., Tab. xx, Mela lib. ii cap. 3, Strabo lib. viii p. 231
Achamæ pop. *Lib. int.*, Tab. xxxiv
Acharna *Atticæ*, Tab. xx., Pauſan. Attic. cap. 31, Pindarus, Statius.
Achates fl. *Sicil.*, Tab. xvii, Silius lib. xiv v. 229, Plin. lib. xxxvii cap. 10, Solin. cap. 5, Theophraſt. de Lapid. p. 396
Achelous fl. *Ætol.*, Tab. xviii, Strabo lib. x p. 310, Florus lib. ii cap. 9
Acheron, Acheros fl. *Brutt.*, Tab. xv, Livius lib. viii cap. 24, Strabo, Plin.
Acherontia opp. *Ital.*, Tab. xv, Gronov. cap. 20, Procopius lib. iii B. Goth. cap. 23
Acheron fl. *Epiri*, Tab. xix, Thucydid. lib. i cap. 32, Apollod. lib. ii cap. 7
Achilleos Dromos, Tab. viii, Plin. lib. iv cap. 12, Mela lib. ii cap. 7, Strabo lib. vii p. 211, Tzetzes ad Lycophr. v. 192, Ptolem. lib. iii cap. 10
Acholla, Achola civitas *Afr.*, Tab. xxxii, Livius lib. xxxiii cap. 48, Juſtinus lib. xxxi cap. 2, Ptolem.
Achzib Eedippa opp. *Galil.*, Tab. xxv, Joſeph. lib. i de B. cap. 2, Plin. lib. v cap. 15, Hreſon in Locis Talmudiſt.
Acimincum *Pannon.*, Tab. x, Ammian. lib. xix cap. 24, Valeſ. cap. 9, Ptolem. Notit. Imper.
Aciris fl. Tab. xv, Plin. lib. iii cap. 2
Acis fl. *Sicil.*, Tab. xvii, Theocr. lib. i v. 69 Ovid. lib. iv Faſt. v. 468, Silius lib. xiv v. 222
Acmonia civitas *Phryg.*, Tab. xxii, Cicero pro Flacco cap. 15, Plin. lib. v cap. 29, Tab. Peut.
Aco, Ace opp. *Galil.*, Tab. xxv, Judic. i, Steph., Strabo lib. xvi p. 521, Hieron. in Amos i, & ii, Diodor. lib. xix cap. 93, Corn. Nepos, Datame cap. 5, Plin. lib. v cap. 19
Acoraca opp. *Syr.*, Tab. xxiv, Ptolem. Epigr. Græc. lib. iii p. 286
Acraba opp. *Meſop.* Tab. xxiv.
Acrabata opp. *Samar.*, Tab. xxv, Joſeph. lib. iii de B. cap. 4, Egeſippus lib. iii cap. 6, Plin. lib. v cap. 24
Acrabatena regio *Samar.*, Tab. xxv, Joſeph. lib. iv de B. cap. 33, 1 Maccab. 5
Acræ *Sicil.*, Tab. xvii, Thucydides lib. vi p. 413, Livius lib. xxiv cap. 36, Silius lib. xiv v. 207, Antoninus, Ptolem., Plin.
Acræphiā, Acræphium, Tab. xx, Strabo lib. ix p. 283, Livius lib. xxxiii cap. 29, Pauſan. cap. 23, & 24, Ptolem. Stephanus.
Acragas fl. *Sicil.*, Tab. xvii
Acrathos prom. *Ægei* Maris, Tab. xix
Acriæ *Lacon.*, Tab. xx, Ptolem., Pauſan. cap. 22, Strabo.
Acrilla, Acrillæ *Sicil.*, Tab. xvii, Livius lib. xxiv cap. 35, Stephanus.
Acritas promont., Tab. xx, Strabo lib. viii p. 240, Pauſanias Meſſen. cap. 34, Ptolem.
Acroceraunі montes, Tab. xix, Dionyſ. v. 388, Mela lib. ii cap. 3, Cæſar lib. iii Civ. cap. 6, Svetonius Aug. cap. 17, Virgil. lib. iii v. 506, Plin. lib. iv, Horat. lib. i, Ode iii
Acronius Lacus Tab. v, Mela lib. iii cap. 2
Acube ſeu Cabe Palus *Ægypt.* Tab. xxx
Acumincum, *vide* Acimincum.
Acuſio *Gall.* Tab. iv., Ptolem.
Adam, Adom opp. *trans Jord.* Tab. xxv, Joſue iii, Reland. cap. 13, Vulgat., Jo. Lightfoot. Chorograph. cap. 92
Adama *Jud.* Tab. xxv
Adana urbs *Cilic.* Tab. xxii, Plin. lib. v cap. 27, Procop. lib. v de Ædif. cap. 5, Dio Caſs. lib. xlvii p. 345, Appian. B. Mitridat. p. 394, Notit. Eccleſ.
Ad Aquas opp. *Pannon.*, Tab. x, Procop. lib. iv cap. 6 de Ædific.
Addua fl. *Ital.* Tab. ix, Strabo lib. liv p. 293
Ad Enſem *Umbriæ* Tab. xiii, Holſtenius p. 87, Tab. Peuting.
Adiabda, ſive Adiabla opp. *Alban.*, & *Sarm.* Tab. viii
Adiabene regio *Aſſyr.* Tab. xxviii, Plin. lib. v cap. 12, & lib. vii cap. 13, Ammian. d. loco, Tacitus lib. xii cap. 13, Sext. Ruf. cap. 21, Gruter p. 264, Stephanus.
Adolla, ſeu Odolla *Paleſt.* Tab. xxv, Euſebius cum Hieronymo Geneſ. xxxviii v. 12, Joſue xv, 35 in opp. *Juda*, & cap. xii, 15, 1 Sam. xxii
Adonis fl. *Phœnic.* Tab. xxiv, Nonnus lib. iii verſ. 80
Ad Flexum opp. *Tranſpadanæ*, Tab. x
Ad Pontem opp. *Pannon.* Tab. x
Ad Pontem *Muri* Tab. ix
Ad Statuas *Pannon.* Tab. x, Itinerar. Anton.
Adraa opp. *Arab. Petr.* Tab. xxvi, Holſtenius, Concil. Calced. Act. vi, Epiphan. hæreſ. lxxiii
Adramyttenus conventus, Tab. xxii, Plin. cap. 30
Adramyttium urbs *Myſ.* Tab. xxii, Strabo lib. xiii p. 417, Herodotus lib. vii cap. 112, Livius lib. xxxvii cap. 19, Plin. lib. v cap. 30 Mela lib. i cap. 18, Act. Apoſt. xxvii
Adrana fl. *Germ.* Tab. vii, Tacitus Annal. i cap. 56 de Germ.
Adria opp. & ſin. Tab. xi, Varro lib. iv L. L. cap. 33, Strabo lib. v p. 148, Plin. lib. iii cap. 16, Juſtinus lib. xx cap. 1, Polybius lib. ii cap. 14, Horat. lib. i. Ode iii, Cicero in Piſon. cap. 38, & lib. x Attic. epiſt. vii, Virgil. lib. xi Æneid. verſ. 405 Silius lib. i v. 54, Mela lib. i cap. 3, Seneca lib. iii quæſt. Nat. cap. 29
Adrianæ opp. *Cyren.* Tab. xxxi
Adriani opp. *Bith.* Tab. xxii
—— *Vallum* Tab. vi
Adrianopolis opp. *Thraciæ* Tab. xxi. Itiner. Antonini.
Adrianotheræ opp. *Troad.* Tab. xxii
Adrumetum urbs *Afr.* Tab. xxxii, Plin. lib. v cap. 4, Strabo, Stephan., Plutarch., Cato p. 788, Cæſar, Hirtius, Ptolem., Appian., Mela, Gronov., Voſſius, Tab. Peut., Harduinus.
Ad Septem aras Tab. iii
Ad xxx opp. *Carniæ* Tab. xii
Ad Viceſimum opp. *Lucaniæ* Tab. xv, Itiner. Antonini.
Aduatici pop. *Belg.* Tab. v, Cæſar lib. ii B. cap. 29, Dio Caſs. lib. xxxix p. 94
Aduatuca *Ebur.* (non Aduaticorum) ibidem.
Adula mons *Germ.* Tab. ix, Ptolem. lib. ii cap. 9, Strabo.
Adule urbs *Æthiop. ſub Æg.* Tab. xxx, Ptolem. Salmaſius in Solin. pag. 349, Procopius lib. i Perſ. cap. 19, Arrianus, Steph., Plin. lib. v cap. 29
Adulis eadem, ibidem.
Adulitæ pop. *Æthiop.* Tab. xxxiv, Plinius.
Adyrmachidæ pop. *Marmar.* Tab. xxx, Herodotus lib. iv cap. 168, Tzetzes v. 149, Silius lib. iii v. 278, Scylax, Plin., Ptolemæus.
Æbura *Hiſp.* Tab. iii, Livius lib. xl cap. 30, 33, Stephanus.
Æcæ *Hirpinor.* Tab. xv, Plin. lib. iii cap. 2, Gruterus p. 444. Holſtenius, Itiner. Anton.
Æculanum *Camp.* Tab. xv Appian. lib. i Civ. p. 643, Cicero lib. xvi *Attic.* epiſt. 2, Ptolem., Gronov., Antoninus, Schottus.
Ædepſum *Eubææ* Tab. xx, Strabo lib. i pag. 41, & lib. ix p. 651, Plin. lib. ii cap. 90, Steph., Ptolem.
Ædui pop. *Gall.* Tab. iv, Plutarch. in Cæſ. p. 120, Tacitus lib. xi cap. 25, & lib. iii Annal. cap. 43, Cæſar lib. vi cap. 12, Mela lib. iii cap. 2, Strabo lib. iv pag. 129, Plin., Ptolem., Dio Caſs., Reineſius.
Ægæ opp. *Cilic.* Tab. xxii, Lucanus lib. iii v. 225, Strabo, Plin., Steph., Dio lib. xlvii p. 393.
—— Ægæa *Maced.* Tab. xix, Juſtinus lib. vii cap. 1. de Carano, Plin. lib. iv cap. 10, Diodor. lib. xix cap. 52, *Livius* lib. xlii cap. 51, Polybius lib. v cap. 97
—— *Achajæ* Tab. xx, Strabo lib. viii p. 593, Pauſan. cap. 15, Ælianus lib. xii *Hiſt. Anim.* cap. 36, Livius lib. xxxviii cap. 30, Tertull. lib. i cap. 6 ad Uxorem.
Ægates inſ. *Sicil.* Tab. xvii, Varro de Vita Pop. Rom. lib. iii, Corn. Nep. in Hamilcare cap. i Livius lib. xxi. cap. 10, 41, Mela lib. ii cap. 7, Florus lib. ii cap. 2, Silius lib. i v. 61, & lib. iv v. 79, & lib. vi v. 684
Ægeta *Moeſ.* Tab. x, Itiner. Anton., Ptolem.
Ægida *Hiſtriæ* Tab. xii, Plin. lib. iii cap. 19, Gruter. p. 164
Ægilia inſ. *Pelopon.* Tab. xviii, Mela lib. ii cap. 7, Stephanus.
Ægimori Aræ ſcopuli *ad Afr.* Tab. xxxiii, Plin. lib. v cap. 7, Virgil. Æneid. i v. 109, Steph., Strabo p. 573, Liv. lib. xxx cap. 24
Ægina inſ. Tab. xviii, Strabo lib. viii p. 258, Pauſan. Corinth. cap. 29, Ovid. Metam. lib. vii. v. 472, Cicero lib. iii Offic. cap. 2, Nonnus Dionyſ. lib. xii v. 182, Sulpicius Ciceron. lib. iv epiſt. 5, Dionyſ. Perieg. v. 512, Mela.
Æginium *Theſſal.* Tab. xix, Strabo lib. vii p. 504, Plin. lib. iv. cap. 10, Livius lib. xxxii cap. 15, & lib. xxxiv. cap. 13, Steph.
Ægira *Achaiæ* Tab. xx, Strabo lib. viii p. 592, Polyb. lib. iv cap. 57, Pauſan. cap. 26
Ægiſsus, Ægiſus *Moeſ.* Tab. x, Ovid. lib. i ex Pont. epiſt. viii, & lib. iv. epiſt. vii, Porphyrogennetus lib. ii them. i, Itiner. Anton.
Ægithallum promont., & Caſt. Tab. xvii, Ptolem., Diodor. lib. xxiii, Zonar. Tom. ii pag. 63.
Ægium *Achaiæ* Tab. xx, Polyb. lib. iv cap. 57, Pauſan. cap. 24, *Livius* lib. xxxviii cap. 30, Strabo.
Ægos fl. *Thrac.* Tab. xxi, Corn. Nep. Lyſandr. cap. 4, Alcibiad. cap. 8, & Conon cap. 1, Tzetzes Chiliad. ii v. 894, Diodor. Sicul. lib. xiii cap. 105, Plutarch. Alcib. p. 211
Ægoſthena *Megarenſ.* Tab. xx, vide Ægiſthena.
